


ORATIONES,
Et Carmina
IO. ALOYSII CERCHIARII
Vicentini,

Cler. Reg. Congreg. Somaschæ Theologi.

VENETIIS, M.DC.LXXIX.

Apud Paulum Balleonium.

Superiorum permissu, & priuilegijs.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. VICTORI CAPPELLIO

EPISCOPO FAMAGVSTANO
Congregationis Somaſchæ

CLERICO REGVLARI.

IO. ALOYSIVS CERCHIARIVS eiuſdem Congregationis F.

NOVA iſta Pontificis dignitas, qua recenter à ſummo ſacrorum Præſide Vrbano VIII. inauguratus es, vt in animo meo tui nominis reuerentiam excitauit, ità tenue hoc à calamo exprompſit eruditi argumentum obſequij. Vindicare putaui orationes meas à ſeruitute tenebrarum, & nominis obliuione, ſi libri caput præclariſſimæ tuæ familiæ PILEO donaſſem. Faxit Deus, ne blatthis, ac tineis ereptæ in dentes incidant acutiores, & inopportunam aſſecutæ libertatem in ſordidas detrudantur officinas, vbi ad induendam cordillis penulam miſerè lanientur. Sanè ſi mos fuit Laconibus, nonniſi cum pileis ad arma procedere, vt indomitum aduerſus hoſtes animum, & libertatis vindicem oſtentarent, timere non debent inſanos morionum ictus, aut bella vellicantium orationes meæ, quia

dum in lucem, ac puluerem eruditorum sub tui nominis auspicio prodeunt, PILEATÆ prodeunt. Vt eas emitterem, iussit primò maiorum authoritas, tùm suasit Romæ plausus vbi humanis semper auribus exceptæ sunt, tùm etiam, vt eas tibi typis excusas legendas traderem, qui non audire tantum pronuntiatas, sed scriptas etiam percurrere sæpè cupiebas. Collegi ferè omnes in vnum, quæ passim vagabantur, vt vnum in opus congestæ, multiplicata velut eloquentia meum erga te cultum facundiùs eloquerentur.

Bergomi Kal. Maij anno 1634.

AD

AD LECTOREM.

——————— Tenet insanabile multos Scribendi cacoethes, & ægro in corde senescit.

O præclaram insaniam. Et mirabimur, si membranæ solito cariores sint? Auram, & ventum optare, non esse solummodò nautarum his præsertim temporibus experimur. Nè putes tamen ab hoc me Zephiro impulsum, vt vela panderem, cum in portu consistere tutius esse semper agnouerim, nec posse tàm æstuoso me oceano committere, quin in scopulos meritæ obtrectationis impingerem. Debui maiorum obsequi imperijs, nè periculosiùs obruer. Restituta in pristinum ferè statum eloquentia multos educauit alumnos, qui cum non curta supellectile gauderent, varium orationis cultum induerunt. Alijs placuit Laconico quodam, atque succoso dicendi genere vti, alij historias, atque similitudines farciendo semper ex commentario sapere, nonnullis exuberanti orationis apparatu redundare, inter quos Franciscus Rugerius nostri ordinis aureo flumine verè copiosus latinam facundiam immortali labore locupletauit. Conatus sum in tanta ingeniorum contentione punctum, si non ferre, saltem attingere, miscens vtile dulci. Arrisit valdè Rugerianæ eloquentiæ torrens pleno semper alueo de-

 currens;

currens; arrisit etiam mutuatus à Seneca, à iuniore Plinio, & ab aliis, reuocatusque in Mundum oratorium stylus hodiernus eruditorum acuminum varietate speciosus, è quibus mystum quendam, aures, & animos vellicantem excudere si non potui saltem volui. Vereor enim, ne purissimos potius linguæ latinæ fontes pedestri sermone turbauerim, aut opus insulsum supinis argutiis implerim. Quidquid id est, malui cum Hispanici salis poeta, & cum aliis Alcinoo poma dare, quàm diuturno, obscuroque otio languescere. Si barbara forte vox scribenti tumultuariò excidisset, seuerasquè nostri seculi aures offenderet, præmoneo, quod olim Seneca sibi sumpsit, cum verbum, ANALOGIAM, à latinis grammaticis ciuitate donatum vsurpasset, uti me verbo non tantùm tanquàm recepto, sed tanquàm vsitato. Ceterùm si qualemcunque laborem meum triobolares quidam Critici theonino dente momorderint, patiar libenter, vel quia tineis dimitti, ac muribus proiici paginæ istæ merentur, vel quia cordatis etiam scriptoribus suos Homeromastiges, Anticatones, Ciceromamos non defuisse iam legi. Vale.

Per

Per le Orationi del Padre

D. GIO. LVIGI CERCHIARI.

Sonetto del Signor Canonico

LVIGI TASSO.

O Versi di sì bel dir CERCHI eloquenti
A' bei CERCHI del Ciel pari nel suono
Forsi del Sacro Apollo i CERCHI sono,
Onde spira alto ingegno, illustri accenti?
O pur quegl aurei son CERCHI potenti
Oue stà Gioue à l hor che scocca il tuono?
Così paion tonando in sù quel trono
Stillare in pioggia d oro i suoi concenti.
CERCHI non son di Tessala Magia
Benche i sensi dell'huom quasi incantati
Con facōdia il CERCHIARI e tolga, e dia.
Detti adunque così dotti, & ornati
Sono della catena, onde rapia
Le genti Alcide già, li CERCHI aurati.

All'istesso.

PER LE MEDESIME ORATIONI.

Sonetto del Padre

D. MICHEL 'ARCANGELO BOTTI.

A Te crescan gl' Allori, à te i suoi vanti
Ceda il Tebro, e l Cefiso, hor ch'ētro i fogli
D'aureo stile CERCHIARI vn fiume accogli,
Cui tranquillansi in sen l'ire spumanti.
Fia pregio augusto à tuoi bei flutti auanti
Romper d'onda restia gl'alteri orgogli,
Da nembosi pensier qualhor distogli
Con giuliuo seren gli austri sonanti.
Ecco spoglie nouelle apre pomposo
Il Lauro allo sgorgar d'vn Rio canoro.
Onde appresti al tuo crin fregio frondoso.
E ben conuien, che mentre vn Fiume d'oro
Di facondia n'inuij, cresca fastoso,
S oue vn fiume scorrea nacque l' Alloro.

INDEX RERVM,

& Verborum.

Apollo

Ho-

Cor

De-

Tem-

Pestis

FINIS.

SA-

SAPIENTIS ADOREA.

Hoc est:

Quanto in honore fuerint omni ætate Sapientis.

ORATIO.

Habita Bergomi in Templo D. Mariæ Maioris, cum publica primùm gymnasia Congreg. Somaschæ Patribus delata sunt.

Anno Domini M. DC. XXXII.

INiusta peruagatur iam, atque crebrescit in dies à pluribus vsurpata sapientibus querimonia, disciplinas liberales labentium iniuria temporum adeò viluisse, vt quæ prius omnium animos sui amore deuinxerant, modò neglectè, velut è triuio meretriculæ, sine cultu procedant, nullo Mœcenate subnixæ. Greciæ vniuersæ, doctrinarum olim altrici Thrasymacum, & Carinatem nobiles rethores ob sterilem cathe-

dram conticuisse, Iuuenalis obiectat; perinde quasi à suo illa oratore Demosthene non didicisset, eloquentiam paupertate, velut angina correptam, esse non posse vocalem. Et sanè quot reperiuntur ignaui prædiuites, aurei velleris ouiculæ, qui, quod eruditorum hominum subleuandæ largiantur inopiæ non habent; sat habent, quo feram psittacis, & phasianis Heliogabali more saginent; quasi verò leuiori sumptu ventris immensi constet ingluuies, plus capiant intestina poetæ. Quot viri Principes, dum in immerentes beneficia non tam conferunt, quàm congerunt, Gratias, pudicas alioqui Virgines, quod Socrates deplorabat, in fœdo lupanari prostituunt, quæ sapientiæ mallent amasijs gratuiti muneris dote coniungi? Sapiebat ille, qui literatorum nationem statuæ Memnoniæ opportuna comparatione conferebat, quæ, sole prodeunte, matutinis icta fulgoribus sonum emittebat, quamuis lapidea perdulcem; cum isti quoque vbi principum beneficentiæ radius affulserit, canere incipiant, & digna perenni commendatione volumina meditari. Gratulabor igitur nostræ Congregationi, seu potius inclitæ Vrbi Bergomensi referam gratias, quod informandæ bonis artibus iuuentuti sodalitij nostri Patres adsciuerit, & nostram qualemcumque operam ingenti ciuium alacritate postularit. Vos equidem, viri patritij, quod ol im Traiano tribuebat nobilis vates, tristes Camœnas hac tempestate respexistis, totoque penè iam exules orbe ad amœnissimos agri vestri colles, ve-

lut ad beatiorem Parnassum reuocastis; Vos, ne vnquam fugam arriperent, opportuno scholarum domicilio, religiosorum hominum societate multiplici beneficiorum vinculo catenastis. Sed ne videar hæc titillandis auribus in speciem adornasse, retroacta breui orationis periodo tempora præteruolabo; Sapientemque vestris obijciam oculis omni semper Adorea laureatum.

Repetite igitur animo primos literarum antistites Linum, & Orpheum, Musæum, & Amphionem, quos bruta traxisse, vel lapides, venerabunda confixit antiquitas; non tam lapideam sui temporis confessa barbariem, quàm flexanimam virorum illustrium testata dicendi suauitatem. Repetite septem illos Græciæ Sophos, lapsos de cœlis homines, tripodis aurei munere commendatos, qui non tam pretium à raritate deriuarunt, quàm pretiosam in septenario numero doctrinæ raritatem attigerunt. Repetite Mosem per beatissima Ægypti gymnasia celeberrimum, cuius historiam Ptolemæus ille regum Philosophus, rexque Philosophorum quondam osculatus in eburneo scriniolo summo iussit studio reponi. Repetite maximorum edicta Cæsarum, vbi vectigalibus immunes, vrbium ciues, dignitatibus idonei, Principum domestici declarantur, ditantur muneribus, excipiuntur conuiuio, colloquijs adhibentur, ne tantùm virtuti fortuna comes, sed supremæ quoque fortunæ virtus posset comes appellari. Hinc regum lateribus leguntur sapientes vbique de-

fixi; Alcynous Vlyssi, Chiron Achilli; Aristoteles Alexandro, Telemacho Menalaus; Anacreon Policrati, Nestor Agamemnoni; Antigono, Zeno, Apollodorus Augusto; Xenophon Cyro, adeò vt nullum ferè vnquam è regij cortina palatij decretum prodierit; quin prius sapientis fuerit consilio, velut oraculo, confirmatum. Virtute duce summos ad apices iter sibi complanauere sapientes, ad consulatum Silius Italicus, ad præfecturam Aurelius Prudentius; ad tribubunatum Cornelius Gallus; ad equestrem ordinem Martialis Hispanus; ostenderunt laureati vates, ac viri planè triumphales, tam Parnassi culmen adire se posse, quàm Capitolij. Quid loquar Demodochum medicum à Dario compedibus aureis donatum ne dicam; an irretitum, Cleombrotum centum talentis à Ptolomæo, Menandrum ab Ægypti regibus accersitum, Lenæum à Pompeio manumissum, Diogenem à Xeniade emptum, Iulium Calidium è proscriptorum numero deletum ab Attico, Tucydidem ab Atheniensibus ab exilio reuocatum? Quid memorem viginti venditam talentis Isocratis orationem, paucos Archilochi versiculos magno argenti pondere pensatos à Lysandro, aliquot Speusippi libellos tribus talentis emptos ab Aristotele, Philolai codices decem millibus à Platone; totidem Philippis Choerili versus ab Alexandro, vel totidem colaphis, vt malè tornatum fortasse poetam extunderet? Homeri Iliadem Alexander in Darij scrinio reposuit, Pædiam Xenophontis, Aphricanus Scipio è manibus non di-

mi-

misit; Cæsaris commentaria secum deferebat Alphonsus Aragonius; Plato Sophronis numeros sub puluillo moriens adseruabat; Tertullianum sibi dari postulabat identidem Cyprianus, & elapsis quoque temporibus Toletanæ vrbis Archipræsul, ac Philippi secundi studiorum præfectus Martinus Silicæus, si quos à bibliopolis libros emisset, haud vnquam à famulis domum afferri patiebatur, sed ipse suis manibus beneficia rependens, dulce onus efferebat, cuius auxilio fuerat ad sublimem adeò dignitatem euectus. Legistis iam, quicumque legistis tria Chilonis Lacedæmonij præcepta Delphis consecrata fuisse literis aureis; publicis incisa tabulis Euripidis carmina; Homeri poemata quinto quoq; anno Atheniensium decreto in Panathenæis decantata; Æschili solius tragœdias in Attica potuisse discipulis prælegi? Taciti annales fastos Taciti Cæsaris edicto decies quotannis fuisse transcriptos, Virgilij Æneidem Augusti iussu flammis ereptam, nè illorum hominum opera iniuria temporum intercciderent, quorum esset nomen perenni sæculorum memoria duraturum. An vos fugit illius imperiti stultitia, qui Epitecti Stoici lucernam fictilem ter mille drachmis acquisiuit; fortassis, vt si noctu ad istam lucernam legeret, illicò Epitecti sapientia in Tomuis aduolaret? An excidit animo Dionysius, qui Æschyli pugillares studio solicito comparauit, putans ex illis aliquo se numine afflari? An obliti estis Neanthum Pittaci filium, qui lyram Orphæi in Apol-

linis templo suspensam, æditulo per vim auri corrupto, consequutus, hoc nomine Orphei se musices esse putauit hæredem, donec pulsandæ cytharæ gratia in suburbium profectus, excitatis ad inconditum strepitum canibus, feras quidem ille trahere cœpit, vt Orpheus, sed dilaniatus interijt, vt Marsyas? Prochei Cynici baculum nescio quis alter coemit, vt claudicantem fortè doctrinam sustiueret; Diogenis Dolium in Metroo Græcia suspexit; Euripidis autographum ingenti auri copia Ptolomæus acquisiuit; D. Athanasij librum archetypum Basilienses ostentant; Ouidij calamum è ruinis erutum Isabella Pannoniæ Regina argento contexit; Pamphyli martyris scripta ipsius manu castigata omnibus Croesi thesauris antefert Hieronymus; Titi Liuij brachium à Venetorum Republica, pretiosi muneris instar, Alphonsus Aragonius obtinuit; chordam è cythara Neronis auulsam duabus minis assecutus est circulator Romanus. Sistendum est hic Auditores; Nero cytharedus melior, quàm Imperator cantillat. Illo scenam implente, vetitum erat è theatro discedere. Romam ingrediebatur Apollonius Thyanæus, cum in ipso penè vrbis ingressu fidicinem quemdam offendit, intertexta auro toga fulgentem, per chordas extensas micantibus digitorum articulis oberrantem, quarum fortè vnam è Neronis lyra proiectam adaptauerat suæ. Iam cautum lege fuerat, vt ad pretiosæ musicam cytharæ, adaperto vnusquisque capite, sisteret, non tam cœlestem cytharœdi

vocem auditurus quàm diuinam chordæ melodiam. Continuit hìc pedes superciliosus ille Philosophus, sed vel oscitanter, vel fronte matutina lyricinem inaudiebat; quum ecce repentino satellitum impetu circumuentus ad consulem rapitur, capitalis pœnam flagitij luiturus. O nouum ad Amphionis inuidiam cytharœdi portentum, qui, non vt illa lapides ad cursum animabat, sed animatos homines in lapidem conuertere contendebat. Sileatur, Orpheum rapidissimis cursum prohibuisse fluminibus; inambulantes per vrbem ciues lyristes alter præpediuit. Probare debuisset vel inuitus huius cytharæ numeros Philoxenus, qui ne Dionysij poemata audiret, in latomias vltrò migrabat. Neroni non satis erat, omnia tormentorum genera ab inferis euocasse, nisi ingrato fidium pulsu Romanorum aures enecaret. Chorda illa non tàm aures concentus dulcedine demulcebat, quam pedes prætereuntium arcanis nodis illaqueabat. Cæterum vt ad magis seria traducatur oratio, quid clamant antiqua gymnasia. Pæcile Zenonis, Lyceum Aristotelis, Academia Platonis, Cynosarges Aristippi, Lacidium Lacidis, Cranium Diogenis, nisi gloriam eruditorum? Quo honore culti sacerdotes apud Ægyptios, apud Babylonios Chaldæi, apud Indos Cymnosophistæ, apud Persas Magi, apud Gallos Druidæ, apud Hebræos Archisynagogi, apud Brachmanes Samanei, apud Lacedæmonios Hipparchi? Quid sibi postulant tot bibliothecæ, Constantiniana Oriente, Vaticana Romæ, Marciana Venetijs, Su-

linis templo suspensam, æditupo per vim auri corrupto, consequutus, hoc nomine Orphei se musices esse putauit hæredem, donec pulsandæ cytharæ gratia in suburbium profectus, excitatis ad inconditum strepitum canibus, feras quidem ille trahere cœpit, vt Orpheus, sed dilaniatus interijt, vt Marsyas? Prochei Cynici baculum nescio quis alter coemit, vt claudicantem fortè doctrinam sustineret; Diogenis Dolium in Metroo Græcia suspexit, Euripidis autographum ingenti auri copia Ptolomæus acquisiuit; D. Athanasij librum archetypum Basilienses ostentant; Ouidij calamum è ruinis erutum Isabella Pannoniæ Regina, argento contexit; Pamphyli martyris scripta ipsius manu castigata omnibus Croesi thesauris antefert Hieronymus; Titi Liuij brachium à Venetorum Republica, pretiosi muneris instar, Alphonsus Aragonius obtinuit; chordam è cythara Neronis auulsam duabus minis assecutus est circulator Romanus. Sistendum est hic Auditores; Nero cytharedus melior, quàm Imperator cantillat. Illo scenam implente, vetitum erat è theatro discedere. Romam ingrediebatur Apollonius Thyanæus, cum in ipso penè vrbis ingressu fidicinem quemdam ostendit, intertexta auro toga fulgentem, per chordas extensas micantibus digitorum articulis oberrantem; quarum fortè vnam è Neronis lyra proiectam adaptauerat suæ. Iam cautum lege fuerat, vt ad pretiosæ musicam cytharæ, adaperto vnusquisque capite, sisteret, non tam cœlestem cytharœdi

vocem auditurus: quàm diuinam chordæ melodiam. Continuit hìc pedes superciliosus ille Philosophus, sed vel oscitanter, vel fronte matutina lyricinem inaudiebat; quum ecce repentino satellitum impetu circumuentus ad consulem rapitur, capitalis pœnam flagitij luiturus. O nouum ad Amphionis inuidiam cytharœdi portentum, qui, non vt illa lapides ad cursum animabat, sed animatos homines in lapidem conuertere contendebat. Sileatur, Orpheum rapidissimis cursum prohibuisse fluminibus; inambulantes per vrbem ciues lyristes alter præpediuit. Probare debuisset vel inuitus huius cytharæ numeros Philoxenus, qui ne Dionysij poemata audiret, in latomias vltrò migrabat. Neroni non satis erat, omnia tormentorum genera ab inferis euocasse, nisi ingrato fidium pulsu Romanorum aures enecaret. Chorda illa non tàm aures concentus dulcedine demulcebat, quam pedes prætereuntium arcanis nodis illaqueabat. Cæterum vt ad magis seria traducatur oratio, quid clamant antiqua gymnasia. Pæcile Zenonis, Lyceum Aristotelis, Academia Platonis, Cynosarges Aristippi, Lacidium Lacidis, Cranium Diogenis, nisi gloriam eruditorum? Quo honore culti sacerdotes apud Ægyptios, apud Babylonios Chaldæi, apud Indos Cymnosophistæ, apud Persas Magi, apud Gallos Druidæ, apud Hebræos Archisynagogi, apud Brachmanes Samanei, apud Lacedæmonios Hipparchi? Quid sibi postulant tot bibliothecæ, Constantiniana Oriente, Vaticana Romæ, Marciana Venetijs, Su-

siana in Perside, Regia Parisijs, Alexandrina Ptolemæi, Pergamena Eumenis, Amaltheum Attici, Musæum Plinij, Vlpia Traiani? Quid eruditorum imagines in bibliothecis repositæ; Varronis apud Asinium, Virgilij apud Alexandrum Seuerum, Martialis apud Stertinium? Quid numismata doctorum vultu signata; Virgilij facie à Mantuanis, Homeri capite à Chijs, Sapphus imagine à Mytilenæis, Sibillæ Phrygiæ à Girgithijs? Quid prosequar librorum titulos minio scriptos, vmbilicis cultos, frontes pumice rasas, clauos ad similitudinem bullæ præfixos; cedrinos alios, alios cereos, alios linteos, alios plumbeos, alios eburneos, alios ex pellibus, ex corticibus alios ex Nilotica papyro, ex folijs palmarum alios, non tam doctrinæ, quàm ornamentorum varietate diuersos; vt graue nefas æstimarit Aragonius ille, qui librum apertum pro symbolo erexit, cum volumen vnum nulla membrana vestitum quidam alicuius inspiciendum obtulisset. Cogitabat ille de arce Neapolitana reparanda, vt florentissimæ vrbi præsidium adderet, adimeret hostibus animum; cum Vitruuij de Architectura codicem ad se iussit afferri, vt inde conceptæ iam ordinem munitionis hauriret. Incurrit nescio quo casu in cupidas quærentium manus Vitruuij opus illigatum, incomptum, ad mechanicam officinam cum Martiale destinatum diceres, vt togam cordillis, oliuis penulam faceret, aut inopem sordidæ blattæ famem saturaret. Substitit ad libri conspectum Alphonsus; Et iste, inquit, qui nos quo modo con-

contegamur, ostendit, mihi detectus ostenditur? qui vrbem ab hostium cuniculis vindicat, tineis corrodendus, confodiendus obijcitur? Quo doctores sublimes ad cœlum substructiones ex imo telluris assurgunt, nunc iacebit in angulo domus, puluere sordidatus? Ita librum extemplo voluit cedro perungi, pellibus obduci, ad vsum aptari; & qui nudam nullo vnquam tempore passus erat algere sapientiam, librum quoque expolitæ membranæ iussit operimento vestiri. Sed quoniam longè præclarius ad se me vocat Alphonsi facinus, qui promouendæ semper ad maiora sapientiæ studio flagrauit ardentissimo, date indiserto veniam oratori, vt dùm quod ille viris detulit eruditis, pronuncio, communi nomine referam gratias, meritamque habeat à me, dum alios contendit extollere, laudationem. Iam vndique ad obsidendam valido exercitu Caietam militum castra defixerat, iam collocatis bel i tormentis parabat excidium, cum sereres ex agro vicino lapides, bombardis fortè grauidandis, maiorem in copiam depromi iussit, quàm eousque congesserat. Vernabat haud procul amœno cultu, cœloque clementissimo villa Ciceronis, partim in colliculos molliter assurgens, partim in viridem planitiem expatians, vbi fontes è Phrygio lapide exultantibus aquis ebullirent, vbi arbores apricam formositatem densissima frondium opacitate inumbrarent, vbi hominum effigies tonsili buxo, & textili palmite animatæ vel arcum intenderent, vel hastam erigerent, vbi collectas

ad beatiora floralia cerneres gratiarum texturas omnes, & elegantiarum pandectas. Nunc enim verò disiectis mœnibus Caieta corruet, ad quam excindendam Cicero quoque conspirat. Pericles olim tonare, fulminare, permiscere Græciam dicebatur; vnicam Cicero vrbem non euertet? Quid desistis, Alphonse, quid moraris? quid saxa frequenti vectatione è rupe Cicerioniana non cumulas? Vbi cognouit Aragonius, villam illam, villam esse Ciceronis, reuocatis ab opere lapicidis, prælium dixit violare se malle, quàm prædium. Iactet nunc de Cynea Pyrrhus, plures se illius lingua, quàm gladio ciuitate subegisse; Caieta, Cicerone silente, ab excidio vindicatur. Si ita pro se Cicero perorasset, diuinum illud caput non fuisset excisum. Erepta fuit oratori de mortuo lingua, quia viuus loquendo, silendo mortuus patrocinari debebat. Hortum illum, hortum Hesperidum dixerim, qui ad sui custodiam non draconem habebat vigilem, sed mortui nomen oratoris. Salue disertissime Romuli nepotum, ciuica debes corona præcingi, cum non ciuem, sed ciuitatem integram ruinæ subduxeris, quinimò, quod olim de Romanæ vrbis tyranno poeta mentitus est.

Non quercus te sola decet, non laurea
Phœbi.

sed aureum aureæ facundiæ honestamentum, cum de hostilibus copijs sola nominis reuerentia triumpharis. Quis tua digne valeat

leat decora recensere, quis laudum præconia rependere? Meritò posses nunc in medijs auditorum fluctibus, apertis tibijs inclamare, CEDANT ARMA TOGÆ; cum ferro munitas Alphonsi legiones sine eloquentiæ adminiculo superaris. Tu primus patriæ pater à Roma libera nuncupatus; tu nouus homo, quod Sallustius obiectabat, vetustissimam Consulis dignitatem tuæ familiæ intulisti, tu obscurum Ciceronis cognomentum Scaurorum, & Catulorum titulis effecisti gloriosius; tu sine parentis dolore genitus eximendam ab omni angustia patriam auguratus es. Fulgor ille, qui, dum sopitus putaretur ignis, è cinere eluxit, sacris operante vxore Terentia igneã, ac planè fulmineam dicendi vim portendebat. Prætereo libenter hìc, in Thebarum direptione illæsam Pindari domum, restauratam in gratiam Aristotelis Stagyram, condonatam Lampsacenis culpam, propter Themistoclem, non deuastatas Athenas pro sapientibus mortuis; ereptos morti Alexandrinos Arrij Philosophi beneficio; Syracusas adhuc superstites, Archimedis Mathematici precibus; Mitysenem libertate donatam amore Theophanis: Prætereo decertantes de Homero inter se Græciæ vrbes; de Plinio Veronam, & nouum Comum, de Statio Stellas, atque Neapolim; dies enim me deficeret, & latera, si persequi vellem omnia. Surgebat Romanus populus spectandis ludis ingredienti theatrum Augusto? Et Virgilio surgebat. Adorabatur Alexander Persarum in morem, nullique sine cultu di-

uinitatis aderiebat accessum? Iste Iouis filius, Deorum è germine, Diogenem tressem hominem inuisere non erubuit. Erat Dionysius animi non tàm feritate, quàm elatione formidolosis, Deorum contemptor, & hominum? Platoni Siciliam aduentanti vittatam nauim emisit, egredientem in litore quadrigis albis excepit. Romam victor repetebat Mithridatico bello confecto Pompeius; in ipso itinere Posidonij domum à lictore percuti vetuit, fascesque consulares ianuæ submisit ille, cui se oriens, occidensque submiserat. Suspexit Roma Traianum, cuius sub imperio studia, quæ priorum temporum immanitas exilijs puniebat, sanguinem, & patriam accepisse Panegyristes eloquitur? Hic Vrbem aurato curru deuectus, coronatus in trabea, in eodem vehiculo Dionem Sophistam admisit; quem elapso sæculo imitatus Carolus V. dum Mediolanum celebri pompa triumphator ingreditur, Gasparem Contarenum, insignem doctrina virum, lateri socium adsciuit. Viderunt sæculo superiori summa voluptate Papienses Ludouicum XII. Galliarum Regem, cum Genua, subacta de Liguribus triumphasset, ad Iasonem Mainum in celeberrimo illo disciplinarum omnium Augustali iurisperitiæ doctorem audiendum, cum quinque purpuratis Patribus, centumque proceribus, honoris causa diuertere: Viderunt Mediolanenses Iacobum Triuultium in Iani Parrhasij eloquentiam profitentis gymnasio, inter iuuenes auditores, sexagenarium summæ dignitatis imperatorem considere, nè amplius suum pos-

posset antiquitas iactare Scipionem, ab armis vacuum literis incumbentem, cum recentior quoq; ætas viros proferre plurimos possit, non tàm annorum, quàm triumphorum numero graues, erudita domicilia frequentantes. Occurrunt serpentes ad eruditorum capita laureæ; frondes illæ multis irrigatæ sudoribus, vt ab illis arida virorem desumat eloquentia, fama perennitatem. Et sanè, cur lauro primùm coronandi poetas consuetudo percrebuit, vel ex eo imperatoribus pares, ceteris præstantiores? An quia laurus Apollini sacra deuotos Phœbo vates arguit? An quia à tali arbore, diuino velut enthusiasmo, auctore Sophocle, percellantur? An quia gustata lauro poesis deuoretur, quod Hesiodo cecidit, & cecinit Iuuenalis? An quia sicut laurus de cœlo non tangitur, ita læuæ fortunę fulmina vates eludant? An potiùs, quia è ramis anno toto vernantibus, æterna sibi nominis gloriam augurentur? Cur hedra, consequenti temporum serie, legimus redimitos, mutata fronde, non cultu? An quia poetæ non tàm Apollinis clientelam affectauere, quàm Bacchi? An quia sicut hederæ folia subalbo pallore cinerescunt, ita vates debeant pallere sub libris, vinumq; toto nescire decembri? An quia, teste Plutarcho, hederaceæ frondes ore protritæ comedentem in furorem accendunt, quo furore lymphaticus ad carmina scribenda prosiliat? An quia sicut aureos illa corrymbos emittit, ita libenter poetæ aureos è suo labore fructus decerpant? An potiùs, quia sicut hedra quibusdam quasi

brachijs amplexa parietem ad summum cacumen erumpit, ita Vates ingenuo Mecęnate suffulti florentem ad gloriam adrepant? Quo loco se se mihi offert triumphalis ordo poetarum, quos coronis varijs officiosa cohonestauit antiquitas; Lucanus in Pompeij theatro; Nerone, vel inuito, coronatus; Statius in ludis Albanis à Domitiano; Albertinus Musatus Patauij ab Alberto Saxoniæ Duce; Cornelius Celtis à Maximiliano primo Cæsare; Æneas Siluius Francofordiæ à Friderico III Franciscus Petrarcha Romæ in Capitolio ab Vrso Anguillariæ Comite, Benedicti XII. iussu, qui lauream coronam ad D. Petri tholum, melius, quàm olim in Apollinis templo Orphei lyra fuerit affixa suspendit: Marius Grapaldus à Iulio II. in Vaticano: Torquatus Tassus poetarum aquila, & vestrum decus, ò ciues, à Clemente VIII. coronandus; nisi præpropera mors auream in cęlo destinasset. Io:Baptista Marinus à Neapolitana nobilitate ad sepulchrum vsque, proiectis in feretrum sertis toties laureatus, quoties nouo huic Marcello plenis lilia manibus spargebantur.

Ad statuas venio sapientibus collocatas, vt gloriam eruditorum vel inanima saxa loquantur; sed neque ita malè feriatus sum, vt velim populum omnem sapientum enumerare lapideum. Recolo, quasi præteriens, Mithridatem Platoni, Homero Ptolemęum, Iunio Antoninnm Pium, Celso Traianum, Claudiano Honorium, Athenas Demetrio, Pausaniæ Spartanos, Apuleio Carthaginienses, Virgilio Mantuanos simulacra dicasse;

cuius

cuius etiam postremi statuam, cũ Centurio à militibus suis deijci, ac in flumen demergi iussisset, naufragium subire coactus est Maro iniuria sicarij, qui Augusti beneficio incendium euaserat. Nouissimè verò superioribus annis, qua doctrinæ laude discessit è viuis Virginius Cæsarinus, phœnix ille nostri temporis ingeniorum, cuius effigiem cum insigni epitaphio in aula Capitolina, velut in Heroum larario virtus eximia reposuit, vbi Quiritum omniũ sapiẽtissimum, Senatus populusq; Romanus, duraturis æternum literis, nuncupauit? Et quoniam apertum mihi video campum sepulchra veterum effodiendi; illud Hippocratis apud Larissam inuenio, vbi apum examina melificabant, quo melle puerorum vlcera sanabantur, tanta medendi vis adhuc vigebat in mortuo, illud Euripidis in Macedonia, percussum è cœlis ictu fulmineo, vt vatem superis carum, vel ipsa fulmina, ignea lingua loquerentur: illud Diogenis Corinthi è pario marmore, columnã spectandum, superstante cane, quasi vel mortuus hominũ vitijs adlatraret: illud Ouidij in Scythia apud Getas, quos licet immanitate barbaros, carminum suauitate emolliuerat: illud Dantis Rauennæ sacris imaginibus è lapide effictis ornatum, cuius caput à perillustri Abbiosorum familia lignea pixide, odoramentis plena reconditum summo honore seruatur: illud Sannazarij in villa Mergillina, eleganti statuarum opere pretiosum: illud Virgilij secus Neapolim, cuius in conditorio aliquandiu delituisse Silium Italicum perhibent, vt ab ossibus poetæ spi-

ritum

ritum Virgilianum hauriret, qualiter olim nidificantes ad ſepulchrum Orphei luſciniæ ſuauius ceciniſſe finguntur. Perpendite vos funera literatorum etiam ab hoſtibus celebrata, parentalia ab æmulis perſoluta, vltiones à Dijs de ſapientum nece deſumptas; refricate memoriam cum Athenas obſidione diutina Lyſander circumſediſſet, vrbemq; illam, in qua Sophocles fatis conceſſerat, æquare ſolo contenderet, non potuiſſe ſtrenuum Lacedæmonium ciuitate potiri, ſuperſtite Sophocle, plus valuiſſe inuictiſſimo exercitu imbecillitatem morientis. Apparuit in quiete Lyſandro Dionyſius, dumque vel dormiens Athenarum moliebatur exitium, eouſq; temperare iuſſus eſt ab effrenato conſilio, donec humari fineret delicias ſuas. O felicem tragœdum, qui in euerſæ penè vrbis proſcenio lætam ſibi cataſtropham exorauit. Sileant, qui vehementi, & inſperato gaudio, ob victoriam è Tragœdiæ recitatione relatam, exceſſiſſe confirmant; Sophocles tragico patriæ conflictatus euentu, morte præreptus interijt, niſi maluit cycnus ille ſi non moribus, ſaltem cano capite candidiſſimus, ſui funeris eſſe cantator.

Quòd ſi tandem tunc ex humili ſtatu noſtræ conditionis aſſurgimus, cum ad diuinam propiùs celſitatem accedimus, reputate, ſapientes diuinis etiam honoribus cultos, ac in Deorum albo ſolemni apotheoſi conſcriptos. Aram Platoni erexit Ariſtoteles; Lycurgo ſacellum Spartani; Steſichoro templum Phalaris Arigentinus; Pindarus adhuc viuens

partem eorum, quæ deferebantur Apollini, comedebat, quia sapientiam valdè sub libris esuriuerat. Vnum posttemo loco se prodit, vestris recreandis animis, recentissimę memoriæ erga literatos obsequium, in sexu muliebri, cuius bona pars, vt Veneri amica, ita Musis esse videtur inimica. In aula Scutorũm regis vir erat notæ deformitatis, sed eruditionis eximiæ Alanus Charterius Carolo VII. à secretis; alterum Socratem appellasses, quem Silenis Alcibiades conferre solebat, quòd exteriore cultu subhispidus, ac deformis, diuinum tamen ingenium occuleret; portentum erat, cum tanta corporis turpitudine pulchrum animum conuenisse, velut si adesset aliquis ex Africa candidus. Inuisebat fortè Margarita palatium, domus suæ tam benè regina, quàm Scotiæ; cum ecce virum conspicatur, alto somno stertentem inter subsellia procubuisse. Quid hic prius ego demirer? aulicum in regia dormire vbi semper vigiles curæ? An potiùs in Alano conditionem aulæ deplorem, vbi virtus obdormiscit, vitium exultat? An aulicorum imaginem in dormiente homine graphicè depictam intuear, qui mera sibi somnia fingunt, nudo terræ pauimento suffulti? Sed bonum omen, Auditores, accedit Margarita, toto brachiorum conatu complectitur, ex humo sustollit, & stupentibus vniuersis, osculum, non adhuc expergefacti sapientis ori defigit. Puderet oratorem ista edisserere, nisi Margaritæ integritas, Alani deformitas, specimen reuerentiæ in literatum hominem singulare omnẽ prorsùs cul-

pæ notam eluderet. Qualem verò, in tanta plurimum aulicorum admiratione, putatis constitisse reginam? Doluisse illam, regali maiestati dedecus, pudicitiæ maculam inussisse? solutam in cachinnos Phrynæa impudentia? Abi Venus, suauia tua insuauia putauit. Non amplexatam se virum dixit, sed os illud, ex quo tot insignes prodiere sententiæ, constanter edixit osculatam. Et quid culpæ commisit, si Suadelam, quæ in ore Alani, vt in labijs Periclis, sessitabat; muliebri more suauiata est? Si sapientiam deformi alioqui tabernaculo receptam, qui mos erat olim adorantium; osculo impacto venerata est? Desinere debebas in posterum loqui fortunatissime virorum, cum tuum illud os aureum castissimo osculo regina sigillarit. Impressa fuerint antiquis poetarum libris oscula; vnde dolebat Martialis, circa sterilem cathedram basia sola concrepere tu viuus auctor, non in paginis, sed in vultu osculum habuisti. Sed quorsùm aliena exempla produco, cũ habeamus domestica, & propria? neque enim silere possum, Auditores, prolixam vestræ ciuitatis in meum ordinem beneficentiam, compressaq; initio dicendi, tandem, tandem in calce erumpit oratio; quibus enim beneuolentiæ argumentis in vestram nos vrbem inuitastis, quibus amplexibus excepistis, quę benè in posterum Palladis domicilium appellari poterit, non tam munimento murorum, quàm propugnaculo literarum. In summitate enim montis aprici, ducto velut à natura proscenio, conspicientium oculis vrbs tota se prodit,

im-

immensamque ab oriente planitiem interminato theatro prospectat, vnde non tam indulgentis cęli clementia perfruitur: sed ipsis etiam ciuibus amœnissimi ingenij temperiem impartit. Cum enim solis orientis radios citissimè admittat, versari non sinit in tenebris incolas suos, sed naturali mentis acumine expergefactos, in lucem facillimè promouet literarum. Alberici à Roxiate nomen nulla vnquam ætas obliterabit, qui legum peritia clarissimus, primos iurisprudentiæ antistites æmulatus, tantam in Gallia Bergomensium nomini gloriam concitauit, vt ad illum traduci iuremerito possit, quod olim Platoni tribuit antiquitas, Iouem, hoc est, supremum iustitiæ administratorem, si humano sermone vsurus esset, non alio, quam Alberici ore, in dirimendis controuersijs, fuisse locuturum. Cuius verò memoriam non subeat Ambrosius Calepinus, omnium genere scientiarum cultissimus, excogitato ad faciliorem captum vocum ferè omnium onomastico, de literaria Republica benemeritus, ad quem, velut ad certius Pythio Apolline oraculum, in explicandis verborum sensibus, vniuersa literatorum natio, consilij gratia diuertit? Sed ne videamur antiquorum sepulchra refodere, repetite gloriosam illam Tassorum Triadem, Bergomenses illos non minus sanguinis affinitate, quàm sapientiæ firmitate Geryones, qui ignauiam benè collocatis laboribus iugularunt, repetite, quanta apud celebriores Europæ principes gratia floruerint, quanto plausu admiranda illorum monumenta prodie-

dierint, in omnem duratura posteritatem, quot linguis reddita fuerint Torquati Hierusalem, quam armis quidem à perduelli tyranno Godefridus exemit, sed Torquatus à nominis excidio ipsam, & ducem Homerica tuba vindicauit. Recolite Io. Petrum Maffeium Societatis IESV iubar clarissimum, qui mundum literarium pretiosa librorum supellectile locupletauit, qui religiosę vitæ palmis eloquentiæ lauream adtexuit, qui in amęna orationis varietate omnes rethorum Veneres, omnes ingeniorum virtutes, omnes elegantiarum delicias, ad certamen vsque luxuriantes, immortali labore conclusit. Nouissimè verò quot homines in omni scientiarum genere versatissimos parens hæc sapientum fœcunda protulerit; recensere non persequar, ne vel superstitum adhuc auribus adblandiri videar, vel præconium attexere cogar singulorum. Hoc sanè à vestro prudenti consilio profectum surda omninò aure præterire non debeo, Somaschensis nimirùm ordinis Patres, erigendis publicis in ciuitate gymnasijs, præ cæteris fuisse vocatos; cum enim grassantem per Italiæ viscera lucem non tam vrbes hominibus, quàm Lycæa professoribus funestasse videretis, illius familiæ Patres ingenuę iuuentutis moderatores esse voluistis, quam vestræ noueratis vrbi beneficiorum magnitudine, & auita obseruantia deuinctam. Quidni enim in hac etiam regione musæ florerent, quæ lauro coronari debebant LAVRETANI Prætoris? Quæ nobis difficultas obluctaretur, dum rosas MOCE-

NI-

NICAS habuimus nostro pro beneficio loquentes? Quali gaudio exultare putatis ordinem Somaschensem, dum quos educauimus in adolescentia, vt filios, experimur in ætate virili humanissimos patres? Vos autem, ciues optimi, qui libros vestros nostræ curæ committere voluistis, quam non vobis polliceri potestis in illis erudiendis à nostra religione solertiam, quæ in solo, & ære vestro prima iecit fundamenta, quæ vestris ciuibus adaucta rependere modo cupit, quod liberaliter olim obtinuit? Vos excepistis beatissimum parentem nostrum HIERONYMVM ÆMILIANVM Patritium Venetum; vos pium institutum profusis largitionibus confouistis; vos ossa miraculis gloriosa in pago Somaschensi custoditis; Vobis etiam debebitur, quidquid à nobis exquisita accuratione præstabitur: Dicebam.

***

IN TOT PESTIS, FAMIS,

Ac bellorum calamitatibus nullum maius literarum ſtudio ſolatium.

ORATIO.

Habita Romæ in Collegio Clementino in ſtudiorum inſtauratione.

Anno M. DC. XXX.

DIu, multumq; animo reputaui, quam mihi theſim in ſolemni ſtudiorum inſtauratione prę-figerem, vt dimiſſos à gymnaſtica palęſtra diſcipulos, ad literarię militię certamen, prę-cantato veluti claſſico, reuocarem. Occurrebant aliqua, ſed argumenti durioris, quę procudere non poſſet ad ornatum eneruis oratio, obtrudebant ſeſe alia, ſed inopis adeò copiæ, vt illa ditare phaleris eloquentiæ, vel aurea verbornm ſupellectile conueſtire nequiret ſermo pauperculus. In communes tandem Italiæ calamitates neſcio, qua mentis agitatione, delatus, cum illam epidemiæ tabe languentem, annonæ caritate conſumptam, bellorum incendio vaſtatam, miſerando ſane ſpectaculo, cogitarem pupugit animum inſita vnicuiq; in proprium genus beneuolentia, vt aliquod erigendis hominibus reperirem, in tàm luctuoſa calamitate leuamentum.

Me-

Memini, ſtudium à viri appellati ſapientibus doloris cuiuſque nepenthes, vulnerum omnium panaceam, nec leue ſum arbitratus, afferre me communi triſtitiæ ſolatium, ſi inter tot peſtilentiæ graſſantis ærumnas, inter mordentis inediæ languores, inter armorum ſtrepitus, & orbis furias, enixè ſtudendum eſſe profiterer. Canerem ſurdis, ſi paradoxum huiuſmodi deberem in triuijs euincere apud gregarios homines, & amuſos, quorum magis anteſignanus, quàm Imperator Romæ Licinius virus, & peſtem Republicæ literas appellauit; Sed cum auditores, & dignitate, & eruditione primarij in hac panegyri aſſideant, non vereor, qu in oratori indiſerto fauere linguis debeant, & auribus indulgere. Erit hoc argumentum deplorandæ peraccommodum tempeſtati, erit reuocandis à poſtliminio doctrinis opportunum; vtinam ipſe ſuſceptę impar prouinciæ, Spartam meam idoneè loquutus adornem.

Odi Catonianum hic vulgus, & arceo tetricos illos Apathes, vel Miſanthropos, qui affectus omnes Saturnia indolentia, ac Stoica falce reſcindunt: ingruant procellæ, vel fractus illabatur orbis, in aurem indormiet vtramq; ſiliceus Diogenes. Zeno, ſuæ porticus ſplendorem fulcire voluit, non hominibus, ſed columnis, Stoici ne forent in affectibus Prothei, eſſe Termini maluerunt. Apud Italos, apud Romanos loquor, cereas animas, & in omnem partem verſatiles, qui vt infortunijs affici ſolent alienis, ita parem habent in propria calamitate conſtantiam. Iam vero audiſtis, & quanta veſtrum omnium

nium

nium acerbitate audistis, quinquagenos ouina sub pelle transalpinos lupos, ferino prorsus in fidem Romanam odio frementes. Italiæ nostræ, florentis heu nimium prouinciæ? meditatos excidium, mutuatis à spuma Cerberea venenis, vrbes amplissimas inuasisse, ac infectis, quia puluere, qua vnguento celebrioribus locis, vitam ciuibus, templis cultum, foris frequentiam ademisse. Commentum hucusque putaui, ac meras gerras delirantium poetarum, quinquaginta capitibus, vt Ponticus, asserit Heraclides, Hydram præditam fuisse Lernæam, monstrum illud Herculei laboris Palmam secundam, verùm hoc tempore Lernam malorum parium, Hydram æqualium capitum desæuire conspicimus, ac repullulantibus quotidie socijs lethalem spiritum inhalare. In tanta rerum omnium clade Herculea planè virtus exigitur, vt debacchantem per mortalium corpora belluam multorum capitum, ardore studij, igne virtutis extinguamus. At quid studio cum Epidemia? quid Mineruæ cum Libitina? Languent homines tabescentis corporis morbo, tu ad disciplinas capessendas conaris erigere? occupantur capita mortis formidine, tu nouis hodie litteris implere contendis? Horret animus præ facinoris immanitate lymphaticus, nos euoluendis auctoribus melius insanire desideras? Obuallantur vrbes cancellis, Platonem exire cupis, sub patula platano docere discipulos? Mortui sunt cineres auctorum volumina, tu à

mor-

mortuis vitam deriuare, vel mortuis conuiuere cum Mezentio persuades? In Lazari Zenodochijs, non Aristotelis in Lycæo cogimur diuersari, Zedoaria indigemus, vel tu helleboro, medullam optamus, non librum. Verùm aut ego fallor, aut certè studendum est: Sine studio æger est animus; otium sine literis mors est, & viui hominis sepultura, aulicus ille Neronis, & magister increpitat: I nunc & moriturum te reformida, vbi terendis codicibus cæperis incubare. An ignoras, quid olim oraculum Zenoni responderit inquirenti, quo pacto multas posset incolumis præterire Olympiades, diuturnamque sine morbo vitam producere? Prodijt responsum ex tripode, ac futurum id prodidit, si mortuis concolor esset. Introspexit vir oculatissimi ingenij, quid verborum lateret in tenebris; cumque percurrendis antiquorum libris magno se studio mancipasset, nonagesimum ætatis annum, integra adhuc valetudine numerauit, & sanus interijt. Musis præsidere dicitur Phœbus, medicæ artis inuentor, quia perennem sortiri debent studiosi peculiari munere sanitatem. Equidem Palamedes auertendæ à gregibus pestilentiæ Apollini litare victimas, Idæis populis persuasit, quòd nullum tantæ calamitati potentius inueniri possit Mithridaticum, quàm se Apollini studiorum præsidi, literarum antistiti deuouere. Romani, cum vis pestilentiæ, & insanabilis pernicies per omnium capita vagaretur, fixo post ædem Mineruæ à dictatore clauo

noxiæ tabis incommoda depellabant. Vidissetis orbata fora, viduata palatia, extinctas familias, iuuenes senibus iunctos, & filijs patres; circa funus ipsas cadere exequias, medentes interite cum ægris, potionem afferenti perniciosam, mortem vitali in poculo ferre; tremere artus, siccari fauces, tabescere pectus, frigescere membra, vitiari sanguinem; recedere oculos comprimi nares, dehiscere in frustula marcidas carnes: Hæres erat nemo, quia nemo superstes, nullæ lachrymæ, quia nimis dolor; vndique cadauerum aggeres, repleta mortuis feretra, aspirantia tethrum halitum, sepulchra, vrbs tota ferale quoddam bustum erat, & iacentium aceruus; Quid clauum sedandæ pestilentiæ dictatur infigeret? An quia vim morbi, ne recrudesceret magis, illic sistere vellet? An vt clauum fatalis necessitatis truderet clauo duriori? An vt ferro, velut Achillis hasta, vulneribus inflictis mederetur? An, sicut clauis pugnandum mos olim fuit, ita clauo Epidemiam debellaret? An potius, in postico Templi pariete, quod Mineruæ studiorum patronæ sacrum, erat, clauum celebri religione figebat; vt ciuium salutem studijs, & virtuti suffixam indicaret? Quid verò tandem, declinandi causa, contagij præstant homines meticulosi, nisi quòd, nuncio patriæ remisso, ad innaccessa montium cacumina, adrepunt, vel maria non tam austro velificante, quàm metu remige transmittunt, vel iter in oras longinquas suspicione vacuas

cūas animo meditantur, respirare nollent, & viuere, ne pro vitali spiritu aerem lethalem haurirent, mortemque in haustu vitæ sorberent? Nunquam tam verè homo lupus homini fuit, vel solum odit hoc tempore, sociabile animal appellari; ita vnusquisque salutem in solitudine collocat, cum prius bonum non esset, hominem esse solum, sed à simili deriuare deberet adiutorium. Quæ verò tempora studium magis prouehunt, quàm cum vrbanis procul negotijs arcanum tete recipis in Musæum, ibique ad lucernam Cleanthis, famæ immortalitatem acquiris, mortemque studio iugulas, quam corpore declinasti? Imitare Pythagoram Italicæ parentem Philosophiæ, qui sub *Idæo* antro annum absoluit integrum, vt in illo solis prælabentis circulo, ipse quadratus euaderet; Imitare Demosthenem, qui subterraneo specu de virtute solicitus, antelucanam opificum prænertebat industriam, vt dum isti sub malleo ferrum informe procuderent, ipse suis libris ingenium expoliret. At quis præpetibus liberatus alis teneat olympi verticem, vt ex imfecto terrarum orbe sublatus tabificam cladem eludat? Permeat pestis abditos quosque recessus, serpit seruata facie; inimici hominis domestici eius. Piget me ineuitabilis fati; doleo sententiam ineluctabilem, studiosus tamen vltimus omnium in hoc stadio decurret, in hunc censum postremus conferet trientem; hunc saltem habebit à studio superstitis vitæ prouentum. Infelix

ſtudij ſolatium, in communi morte ſibi vitam polliceri, & millies in alijs interire, ne ſemel intereas, cum potius ſolatij genus ſit, interire cum plurimis. Marſilius Ficinus, æquè nobili Platonicæ mentis interpres, ac medicæ artis peritiſſimus, peſtis periculo ſanguineos primo ſubijci docuit, tum pronos ad iram, & paruo igne ebullientes, deinde tardo quodam phlegmate cunctatores, vltimò melancholicos. Pereant formoſuli, qui faciem intingunt non pudore, ſed ſanguine, pereant qui caſtra ſequuntur, & in Marte mortem inueniant; pereant inuidi, & illis extinguantur odij flammis, quibus exarſerant; melancholici, qui ſtudioſi à Lycei Principe nuncupantur, tributum hoc magno dictatori poſtremo loco perſoluent, calamitate peſtis indigni, quia peſtem animi ignauiam, benè colocato labore, propellunt. Non ego confirmandæ veritati ab antiquis ſapientibus lenta ſuffragia depoſcam; Alphonſum Aragonium Hiſpanum illum Alexandrum produco, qui in extremo morbi malignantis articulo, in meam corrogat ſua vota ſententiam. Ægrotabat princeps eruditiſſimus in florentiſſimo regno, ac molli ſtrato decumbens improbis febribus æſtuabat; non ſapor oculis, non ſapor gutturi, non requies corpori; oculi ſemper vigiles, niſi clauderentur ad mortem, guttur nihil admittere, quod non egereret, corpus, cruciatijs quaſi funibus torqueretur, continuò iactari. Accedite, properare,

cur-

currite Clinici, Archiatri; manu arteriam explorate, venarum inæquali, aut formicante percussu, agite hic prolixum de principis incolumitate senatum; misceantur illicò in aureo calice pharmaca, propinentur catapotia, expediantur, strigmenta, pastilli, malagmata, Alphonsum reddere sospitem, vestrum hoc opus, hic labor. Quid in vehementi ægritudine? egisse putatis Alphonsum? An humectandis faucibus, pitissasse in gemma concaua liquorem? An vernantibus per craterem hyacinthis, potitasse decoctam? An lymphis angusto tubo ludentibus, & ventilante flabello, soporem oculis concessisse? An reuocando gustui electiles cibos, & dapsiles summis digitis vellicasse? An nouo huic Hippolyto sacras Epidaurium herbas attulisse? Valeant omnes cum Auicenna Machaones, valeant vnguentaria cum pyxide pharmacopæi, morbus nostri principis, quis vnquam crederet? non calor est sanguinis; sed ardor studij non calice curatur, sed codice; Ne præpesterum ridete Amuletum, Auditores; Aragonius ex Q. Curtij lectione ma gis quam medicorum pharmacis recreatum se fuisse pronunciat. O Quintum Curtium M. Curtio non imparem; ò nobile par Curtiorum? alter absorbendam terræ hiatu patriam propria morte redemit, alter consignandum tumulo principem sui lectione restaurat. Mallebat Alphonsus oculis, quàm ore bibere sanitatem sitim exting uere non poculis, sed liquidissima hi storiæ voluptate? appetendi vim

proritate non cupedijs, sed esuritione librorum.

Verùm quia fames pestilentia tristior est, vt Romanæ candidus scriptor historiæ Liuius attestatur; quod hauriri potest à studio, in tanta rerum omnium egestate, solatium? Consultatio tum melior, cum alnum expleueris, neque dithyrambus esse potest, si bibat aquam. Agedum omnem refodite antiquitatem, reuocate in digitos vniuersos tempestatis elapsæ Philosophos, in extrema rei cuiusque indigentia fuisse reperietis, sola virtute contentos. Prætereo Diogenem tressem hominem, ac diobolarem: omitto Cleanthem drachmis quatuor instructu, Athenis solidam sub Zenone sapientiam fuisse mercatum, subticeo Demonactem cuiusque domum ingredi solitum, vt prandium parasitulus venaretur; Scio ab Anaximene paupertatem dictam fuisse sapiendi magistram à Diogene subsidium ad Philosophiam: Ab Arcesilao efficax virtutis gymnasium, à Xenophonte doctam Philosophiam; repetite vos animo Zenonem, qui opibus ab ingruenti maris turbine destitutus, ab aduersa fortuna ad sapientiam se compulsum fuisse gloriatur. Ibat nauis dextero alite ventorum eludens insaniam, Zenonem suis diuitijs redditura pauperiorem; dehiscit tandem iactata nimbis, & austro, vt Philosophus ad portum doctrinæ velificaret; nunquam tam benè coniuratus aquilonum turbo desæuijt, quàm cùm immani stridore tumescentes ad Philosophiam

im-

impulerunt; Dum alliditur nauis in scopulum, Zenonis animum in virtute solidauit; ventorum dissidium formidabili fronte pugnantium pectus Philosophi serenauit. Dum nubes tenebris cœlum obuelant, homini incurioso virtutis radius affulsit: obruuntur merces in vndis, vt ille sudoris vnda doctrinam mercaretur: exortam dicere possumus de vndarum spuma non Venerem, sed Mineruam, cum grauida maris indignatio in partum sapientiæ recubuerit: Zeno fit de mercatore Philosophus, de diuite pauper, de paupere studiosus, diuite quocunque opulentior. Date vt Adolescens luxurietur in bonis, in Apolline cœnet, in rosa decumbat, date, vt ventrem sagina obruat, cyathos, & caput in mortem Sybaritarum coronet; reuocet in noctem dies, cœlumque retrogradum faciat, imperante alea; hiccine Siracusanus Nepos, decoctor Apicius animum studijs adijecit? Induite sericis vestibus vel phrygio opere vermiculatis, curatam medicamento frontem adscititio colore depingat, antias capronas, & anteuentulos crines in auream Syluam diffundat madentibus cincinnorum fimbrijs, collaria striata multiplici contabulatione suffulciat, thoracem per intermista segmenta translucido auro, fascias crurules impleat Herculeo nodo, tumidis vmbilicis innectat, quia pedes calceorum angustias ferre non possunt, lunatis ad talos fenestris relaxet, Arabici muris folliculum, aut potius mulierem oleat, loquatur aurum, & argentum,

rapiatur in furias, & diras expuat, si nater pauxillum in corio pedunculus, hunc Bonæ Deæ Antistitem, Iunoniæ pompæ ministrum, in sapientiæ castris desudaturum putatis? Sistite illum in obtutu speculi; vt à suo sibi oraculo formæ consilium petat; placeat statura, placeat habitus, rideat sibi, & arrideat, assurgat paulatim, inflectat ceruicem, obliquet oculos in humerum, reciprocetur in sui amorem, quasi Narcissus; si plica in pallio, si ruga in fronte, si næuus in vultu, si humilitas in collari, si thorax non benè accinctus, si non conglutinata tibialia, si follicet in pede calceus, diligenter inspiciat, hanc aurei velleris ouiculam, hunc ità phaleratum bipedem studio tradetis? Quid aliud antiqui studiorum mystæ professi sunt, quàm vt, ablegatis facultatibus, totos se disciplinis manciparent? Crates ille Thebanos mergere maluit aurum, ne mergeretur ab auro; Democritus oculos proiecit, & opes, ne cæcaretur animo; Monymus argenteos nummos proseminauit, vt iude ingenij fructum demeret; Bias, in hostili patriæ direptione, sola nuditate contentus, Bona se auferre omnia dicebat, quia virtutem ferebat. Prienensem Ciuitarem circumuenerat hostis acerrimus, muros exciderat, turres euerterat, natabant itinera sanguine, obtusæ fuerant tympanis aures, oculi gladiorum fulgoribus hebetati, irruperant vrbem milites, & promiscua cæde in fœminas æquè, ac pueros, truculenti furebant alijs præ metu subter-

raneo

raneo se specu tumulantibus, alijs congestis sarcinulis debacchantem furorem declinantibus fuga, vnus homo, vt pretiosa quæque prædæ surriperet, admonitus, sola onustus philosophia, omnia se ferre respondit. Quid virtute pretiosius auferret, quæ omni pretiosior est auro? Verè in victa ciuitate inuictus, quod integer exercitus diripere non posset, solus tutabatur vt ostenderet, inter confertos armatorum cuneos, solam sibi esse præsidio virtutem. Nec mirum, quòd Martis iram non formidaret, qui Palladem pectore condiderat; victorem fugiens, Parthorum more, victoriam fugiendo vulnerauit.

Et ecce inter galeatas acies quantùm exultat audacia, tantùm inter easdem virtus laureata triumphat, nec minorem sibi gloria splendorem policetur sanguine, quam atramento. Feruet Italia exterarum gentium obsessa exercitibus, non tàm victa, quàm victrix, quòd videat de suo solo, & solo parari victorias. Mantua lugubris infausta scena tragœdiæ, post protasim minitatæ cladis, post epitasi inuoluti fœderis, tandem Catastropham dedit. Monsferratus sua se duritie confirmat, quòd ferreus est, & ferreos montes quis æquare solo confidat? Siliceas alpes aceto subactas complanauit Annibal, ferræ rupes, solo igne de tormentis exploso, possunt emolliri. Hùc Austriacæ Aquilæ conuolarunt, & ne lapidem gestarent ad nisi firmitatem, nidum collocare cupiunt in lapide. Galli-

lilia, vt olim in nummis Imperatorum ſpem publicam portendentia radicem ſixerum in monte, vt tota illla regio florentiſſima, non niſi floribus fulciretur. Pax tandem de terra ne dicam, an de BARBERINO cœlo extorta mœrentes omnium animos hilarauit; vt enim Apes in ferrea caſſide mellificio intentæ pacis emblema finguntur, ita vix BARBERINÆ APES inter obſeptas ferro legiones conuolarunt, cum illicò ſuauiorem omni fauo pacem, Italiæ iam deſolatæ; pepererе. Dum autem bella furunt hoſtilia, quid ſuauius, quàm ignauiæ monſtrum ſtudio confodere, dum milites gladio dimicant, ſtylo contendere, cum excubitores ſub dio vigilant, ad lucerna Demoſthenis lucubrare? Inuidit Alexander Achillis fœlicitati, quòd Homerum habuiſſet ſuæ gloriæ præconem, habebunt veſtro labore noſtræ tempeſtatis inuictiſſimi bellatores tot Homeros, quot ſcriptores, dabit Aquila calamum, Lilia candidum folium, milites ſanguinem pro attramento. Inuidit Romano Cæſare Gallicus ille Cæſar Henricus IV. quia cum bellica virtute, & geſtis poſteritati tranſmiſſis, illi ſe parem exiſtimaret, exculto inferior eſſet ingenio, nec poſſet calamo ſcribere, quod victore gladio geſſiſſet: Felicem Cæſarem, qui vltrici dextera innumeros proſtrauit exercitus cumque hoſtis deficeret interimendus pugnando, vetuſtatem ſcribendo iugulauit. Quid iudicarunt Romani veteres; Herculis ſtatuam Muſarum ſimulachris adiungentes, niſi mutuam

tuam

tuam inter arma, & literas, inter pacis, & belli studia, inter togam, & sagum, inter sceptra, & plectra, inter aurea, & laurea diademata societatem? Quid cum Apollinem armatum dextera lanceam euibrare, sinistra lyram suspendere voluerunt, nisi quia lyra benè consonet armis, tuba cum plectoro conueniat? Quid cum Palladem lorica munitam, & clypeo, è Iouis capite genitam confinxere, nisi quia bellorum amor, & studij vno partu iugantur? Quid cum Leonis capiti noctuam imposuerunt Ægyptij, nisi quia præliorum tempore sapientia dominetur? Quid Musarum numini victimas, cum ad arma procederent Lacedæmonij litabant, nisi vt facinorem gloria posterorum memoriæ aliquo auctore consignaretur? Sanè si hebraicam linguam placet aduertere, arma vocant hæbrei sancto vocabulo Chelim musicum instrumentum, perindè ac arma cum studio, vel ipsa voce concordent. Iuuenis Macedo, Persici euersos imperij mihi sapuisse videtur, quod Iliade maritata cum pugione, pugione dexteram, animum armauit Iliade. Quàm turbulentum puluinar, quod in rosa dormienti spinas acrium cogitationum ingereret, quàm asperas plumas, quæ aculeatum mucronem, & operosum poema reconderent: Militibus alto silentio sub tenorijs quieto sopore demersis, sub regio tabernaculo imperatorias curas tumultuari? Quid ni sciret Alexander æques, vel pedes disponere copias, distinguere acies, expedire in alas,

in cornua protendere, arcuare in lunas, in cuneum stipare, qui iacens faciebas tibi de lecto gymnasium? Quid ni Macedones tui vel cataphractos prosternerent homines, qui ducem haberent leonem, in somno peruigilem? quid strenuus iste bellator sub armorum pondere deficeret, qui tam solido militiæ viatico saginatus spiritu legiones difflabat? Quid in Persicas opes mulieris hortatu, faces incendiarias inferre metueret, qui Troianis flammis accensus eructabat incendia? Hoc erat, ipsum somnum erudire, struere aggeres, volitare per agmina, irrumpere in cohortes, oculis ignem, verbis tonitrua, brachio fulmina iaculari, premere, fremere, furere, ruere, cædere: proh quot Iliades malorum Ilias illa ceruici supposita immittebat in caput? Quid? quod in ipsa ferocientis militiæ libidine, in ipso debacchantium armorum furore studiosi homines euasere mortis articulum, vel patriam ab extremæ cladis excidio vindicarunt, adeò virtus ab ipsis etiam hostibus pro iniurijs officia, pro interitu salutem, pro odio amorem extorquet? Theba diripit Alexander; & perduellis in vltionem contumaciæ, ferro, flammisque inhiat euertere; in hoc opulentæ ciuitatis exitio Pindari domus, quasi victoriæ trophæum illæsa persistit: Syracusas Marcellus triumphator ingreditur, neminique iubet contumelias inferri, Archimedis Philosophi precibus delinitus, cuius antea machinas formidauerat. Alexandriam post obitum

Antonij inuectus Augustus, ciuibus metu consternantis, & humi prouolutis, omni discrimine exemit in Arrij Philosophi gratiam, cui cecinit hostis: Sapiens: sapientibus est saluti, si sapit: Lampsaco, propter mortuos sapientes Sylla; Rhodo pepercit Demetrius Poliorcetes, ne incendio Prothogenis picturam abolleret. Sed prædentur bella ciuitates, exhauriant, excidant, pessundent, inuoluant cinere, & fumo; studiosus sua se virtute solatur, vt olim cum trecentas, & sexagenas statuas ab ijs, qui sibi prius erexerant intellexisset esse dirutas, virtutem non esse amolitos edixit Phalereus. Myrtilli clypeus, Auditores, est studium, quo non modò hostium tela, & linguæ spicula è nostro capite auertimus, sed in quacumque calamitatum procella, ad tranquillum otij portum appellimus. Ad studium vos alliciunt, Adolescentis, hæc pestis incommoda, vos excitant in tanta rerum egestate luxus exilium, vos prouocat bellorum, furor, & ferri licentia, vt triplicis auxilij tempore, ter maximi tandem euadatis.

DE

DE CVLTV CORPORIS.

ORATIO.

Habita Romæ in Academia Humoriſtarum.

Anno Domini M. DC. XXXII.

TAnta eſt à primi lapſu parentis rationem inter, & ſenſum, in vnoquoque mortalium extorta contentio, vt difficulter poſſit mentis conſilium cordis affectibus frenum iniјcere, quin ab æquitate reſiliant, aut voluntatem tranſuerſum agant, ad omnia conſectanda procliuem. Tranſmiſſæ ſiquidem per ſenſuũ vehicula rerum ſpecies ita rapiunt hominem ità aciem animi, ſui ſplendore perſtringunt, vt quamuis ſolutus, ac liber, ſuaui tamen captiuitate, amoris laqueis irretiatur quamuis propè diuinus, ac ſacer, profano ſtudio, rebus adhæreſcat humanis. Vnus depingitur Vlyſſes callidæ Circes veneficia deludere, cum ſocij doloſas ædes ingreſſi, poculo voluptatis epoto, in belluas degenerent, quia paucos, velut ex Africa candidos, reperire licet, qui nullis omninò lenocinantis illecebræ frangantur conatibus, multos, qui vitiorum capti præſtigijs, corporis indulgeant oblectamentis. Hinc ſicut inſita omnibus cognoſcendi cupiditas plures in lucem diſciplinas inuexit, quæ adeò multæ ſunt numero,&

tot

tot amplexæ difficultatibus, vt earum quælibet hominem totum absorbeat, ita corporis ingeniosa luxuries tam innumera deliciarum genera excogitauit, quæ vtinam, simul etiam confertæ, insaturabilem cupiditatem explerent, non potius auidum semper animum, ad recentia voluptatum portenta titillarent. Sed ne videar aduersus immodicum luxum malo genio declamare, Bacchanalibus præsertim ferijs, quibus, velut in interregno virtutis, fanaticorum exultat insania, conspiciamus, quantùm demulcendo corpori, grauioribus à curis vacui mortales incumbant, licèt hominem omni prorsùs operimento denudatum voluerit esse natura.

Auro iam pilei coronantur, ad regiæ frontis imaginem, iam collaria, vel striata sinuosis canaliculis protuberantia, vel reticulato, & denticulato opere minutis maculis elegantissimè picta ceruicem obambiunt, iam vermiculatus adamante multiplici torques, pretiosa de collo seruitus pendet, iam corpus vestibus Attalicis amicitur, quas accuratissimo mæandro, & flexuosis, in morem labyrinthiorum, ambagibus labor improbus implicat, iam manus reuolutis ad brachium linis carbasinis intumescunt, iam digiti, adscito gemmarum splendore, collucent, iam crura Herculeo fasciarum nodo constricta tumidos exporrigunt vmbilicos, iam calcei, lunatis ad talos fenestris, aurea rosa clauduntur; soleis ipsis altissimi pedules subijciuntur, vt cothurnata multitudo pro-

priæ

priæ tragœdiam miseriæ nesciens illa scenæ deploret, vel suppositis calceo ligneis, claudorum more, adminiculis, in via morum se claudicare, vel nolens fateatur.

Quid? quòd nullæ in vestitu nationes consentiunt, sed Gabini pallium, casiacam Græci, togam Romani, mastrugam Sardi, braccar Galli, rhenones Germani, Hispani, strigium, dalmaticam Dalmatæ, peplum Troades, caunacem Babylonij, candyn Persæ, myoton Armenij, auium plumas Indi, Fannesijs aures ipsas pro indumentis habent, quibus nuda corpora contegant, nè vnus tantum esset Midas auribus asininis, sed multos afferre posset orbis suæ varietatis testes, non minus oculatos, quàm auritos? Imò in vna tantùm ciuitate quàm perditè luxus triumphat, vbi Mecœnas occurrit molli veste discinctus, Sextus Pompeius cæruleo pallio contectus, Cæsar cum latoclauo fimbriato, Cato senior cum præcurta, candidaque toga, vbi Calicula depictam, gemmeamque penulam amat, Nero nullam vestem bis induit, Augustus quatuor tunicas, nec restrictas, nec fusas assumit, Marcus Antonius ad coxam vestimenta præcingit, Vespasianus habitu neglecto, vix à gregario milite differt? Antonino caracalla, Lentulo dibapha, Demetrio amictus astrorum varietate spectabilis placuit, fortasse vt sidera, quæ caleare nequibat immeritus, transferret in terras, cœlumque sicut pellem extenderet nouus Iupiter. Nunquam tam eleganter Arachne Lidijs telam delicijs illusit, non ità graphicè delibatæ furtum pudi-

pudicitiæ Philomela distinxit, vt historias omnes Italicæ manus, Attalicis eruditiores, opere Phrygio depingunt. Non tot gemmat floribus pauo, cum ver illud pennarum explicat; aut cęlum ipsum micantibus stellis inoculatum spectatoribus obijcit, quantam vestium pompam, pulchritudinisque choragium ostentant venustuli Parides, toti ex arcula, nitidi ex cataclista, in quos illud apposite proijcere licet: Vnde hic nobis pauo? Quamquam pauones isti sordere nolunt in pedibus, nam Augustus calceo delectabatur altiusculo, vt procerior assurgeret, Caligula socco muliebri, Carinus fibulis margarita conclusis; Empedocles caliga ferrea, Heliogabalus gemmata, Demetrius aurea, tribuens indignè pedibus, quod suo capiti non debebatur, vel ostendens, reges in omni sua libertate compedibus aureis obligari. Sed quæso, à calce redeamus ad caput, vbi luxuriantes, tamquam in natiuo solo capilli, mirum est, quàm varias in formas ingeniosè sobolescant, quàm vanas plicatione in omnem flectantur aspectum, vt non sola Ægyptus Proteus iuxtà diuersa capitis insignia multiplices, sed orbis iam vniuersus hominem in plures transeuntem imagines habeat, muliebri super omnes emicante. Alios igitur videas, qui capillos circumducunt in galeam, qui reflectunt in cristas, qui reciprocant in annulos, qui obliquant in corymbos, qui adstruunt in suggestum, qui frangunt in vndas, qui obducunt in cocleas, qui laxant in fimbrias; alios, qui crines à fronte reijciunt, vt in hu-

humeros æqualiter defluant, qui discriminali acu hinc, inde dissociant, vt in aures moliter depluant, qui globum capillorum, velut cometem crinitum in pectos retorquent, qui in frontem ad oculos inumbrandos referunt, qui adulantibus fauonijs euentilandos relinquunt, capita magis ventosa, quàm capillata. Imò ne semper eandem fingantur in speciem, vel cum Germanis nodo substringunt, vel de Scytharum ingenio spargunt, vel effundunt more Parthorum, vel torquent in orbem cum Sicambris, vel amomo perfundunt, vt indi, vel fascia obuoluunt, vt Arimaspi, vel implicant nexibus, vt Maurisij, vel concinnant, & læuigant, vt Britanni, vel hortificant, vt Sueui, frontem subindè nouam assumentes, ne videantur exfrontes. Colorem ipsum capillorum nonnulli fastidiunt; Pyrrhus coma varijs fucata pigmentis incessit, Sybaritæ nigra, Agathyrsi cærulea, Menauij flaua, aureis interpuncta cicadis Athenienses, aureis illuminata ramentis Romanorum aliqui Cæsarum, vt suo illi quoque, sed aureo cinere caput inespergerent, non doloris argumento, sed luxus. Quàm salsè Philippi Magni maior filius senem quendam irrisit, qui cum albis Cycnus esset capillis in coruum emendicata nigredine transmigrare cupiebat, hortatus ne canos, sed genua tingeret iam senio labantia? Quàm meritò Antipater è iudicum fuit albo derasus, quòd capillos pariter, & barbam inficeret; cum in rebus gerendis fidus esse non posset, qui infidus erat in crinibus?

Quàm

Quàm lepide Phœbum Apollinis antistrophon perstrinxit Martialis, quòd cum ignominiosam vellet caluitiem obtegere, vnguento comam in capite caluo pingueret, & effigeret, cuius capiti non opus esset adhibere tonsorem, sed spongia ementitum capillitium radere, vel delere? Quàm festiuè in Phœbum eundem hædina pelle, nudæ verticem caluæ cooperientem iocatus est vates Hispanus, dum illius caput, aculeato scommate dixit, esse calceatum? Et sanè quis virilis animi putauerint argumentum, de singulis capillis ire in consilium, si alter alterum excedat, irasci, nisi tota Cæsaries in collum æquabili gyro diffundatur, mordere tonsorem? Quis optimi ciuis notam existimet, velle potius Rempublicam turbari, quàm comam, æquè religiosum esse, pilum secare, ac Dianæ lucos excindere? Sapiebat in hoc, quamuis insipiens in cæteris Commodus Imperator, qui cum nulli tonsori se crederet, barbam candente carbone iuglandium putaminibus adurebat; qua maiori mollitie, genas singulis Otho diebus rasitare solebat, non tàm, vt cutem asperitate nouaculæ læuigaret, quàm vt ne pilum quidem boni viri habere diceretur. Sed modò quanta barbæ conformandæ varietas emersit, dum alius mentum tenui pilorum filo delineat, alter in eundi speciem exacuit, alter serpere illam per malas gaudet, ac fruticare per totum, alter parili angulo dilatat in quadrum, alter cum Epicrate Atheniensi contendens, qui Rex barbæ fuit appellatus, ad pectus vsque promittit,

cuius

cuius barbam meritò nuncupat Ammianus ad muscas abigendas, peniculum, neque consilij effectricem, sed pediculorum. Illud superesset reliquum, vt more Caligulę ex auro conflatam aptaremus ad mentum, ne solum Ænobarbos loquerentur historiæ, sed Auribarbos. Sed claudam virorum in vestibus luxum vnius Artemonis mollitudine, qui omnium in se transtulit elegantias, arculasque Gratiarum solus exhausit. Hic vbi indumenta Sabæos odores halantia muliebriter induisset, vbi capillos calamistri vestigio rotasset, vbi faciem cerussa, purpurissoque pinxisset, vbi digiti præ anulis radiarent, vbi totum corpus masculæ virtutis oblitum in amasij illecebras transineasset, ne pedes laxa pelle follicarent, calceos insigni labore subducebat, ne plantas humidior semita spargeret, vix imprimebat summa vestigia. Vidissetis morosa per vrbem corporis iactatione prosilire, hac, illac ne quisquilias offenderet, saltitare frequentius, ne in cohibitum pallio brachium quis impingeret, declinare studiosè, Clisthenem agere, Syrissare. Sed nihil de Artemone protuli, Auditores, Cato est hucusque non Catullus, Augustus est, non Mecœnas, Socrates, non Lysicrates. Verebatur Artemon, ne dum semitam pedibus tereret, tererentur pedes, vnde per vrbem, coronatis famulis, lectica vehebatur, mollibus hinc, inde puluinaribus obuallatus, & ne in caput aliquid noxium incideret, duos ex vtroque latere seruos, æream in formam testudinis peluim sustinere iubebat. Fortasse nouerat, Æschylum

vatem

vatem lapsa ex vnguibus aquilæ testudine occisum, omnique supernè aduenienti periculo occurrisse putabat, vbi caput ahenea testudine armasset. Sub hoc æneo cœlo nulla siccitas erat, madentibus cincinnorum fimbrijs, & capite vnguentis perpluente. Quod si muliebrem luxum percurrere breuiter volumus, mundum vniuersum ornandæ fœminæ ancillari inueniemus; comotrias pectendis capillis, ceroplasta, qui medicaminibus faciem inficiant, cinistiones calamistro calefaciendo, pelues aurea ad corpus abluendum, gutturnia argentea odoratis aquis, speculum ad formæ consilium, pyxidum turbam ad picturæ custodiam, terramentorum supellectilem ad cirros implicandos, pelliculas moschi ad suffitus, vt sibi nihil opere videatur, nisi totam penè Arabiam redoleat. Illi deseruit India auro mittendo. China afflandis odoribus, coloribus ministrandis Phœnice; gemmis suggerendis Insula Erythræa; æluri pelles Largitur Sarmatia, ferrum Hispania, stannum Lusitania; ebur Persia, sericum Scythia; ne suam Pandoram cœlum iactet, multiplici Deorum beneficio locupletatam, sed plures terra Pandoras ostentet, in quas omnia sua ornamenta transfundat. Prodit illa in publicum, quis enim mulierem domi contineat? prodit inquam interlucenti veste, si vestis illa dicenda est, qua nec defendi corpus, aut denique pudor possit; suspenduntur auribus vniones non singuli, sed bini, quandoque terni, vt bina, ternaque patrimonia ab auribus tenui filo dependeant; educitur in

me-

medium pectoris aurum, quod in imis visceribus terra defodit, ac mersit, neue vnquam prodiret, toto sui pondere incubuit: accedunt argento contecta sandalia, ne humum tantummodò feriant, sed oculos etiam quatiant intuentium. Non assumitur vestis, nisi corporis partes sub aspectum facilè cadant, vnde bombycinas tunicas, lineam nebulam Petronius, textum pellucidum Tertullianus, syrma nebulosum Fulgentius, carbaseos ventos Tibullus, vitream vestem Claudianus appellauit. Neque verò mulieres, inuidum genus, cæteras in amictu sibi patiuntur æquales, sed stolam matronæ, togam meretrices, cycladem virgines, rectam tunicam nuptæ, mitram ancillæ sumpserunt: capillum nigrum nobiles, flauum plebeiæ voluere. Quot verberibus plectitur ornatris, si vnus de toto comarum orbe capillus peccauerit? quot plagis vapulabit si altior fuerit alio cincinnus? quot diras audiet, nisi distractas vtrinque comas, ad breue interstitium distinxerit? Dentibus armantur non suis, ne videantur edentulæ, à mortuis à laruam capillarem mutuant, ne caluæ cernantur, à lacte asinino nitorem deriuant, vt vlcera contegant, vnde sexcentas secum asinas vxor Neronis Poppæa ducebat tali agmine digna stipari Imperatrix.

Iam verò nudo homini cœlum aperuit, ac veluti deuelauit Deus: homo autem non corpus tantummodò operuit; sed etiam cœlum oculis eripere voluit, vtque se in terris ostenderet collocasse stationem, tentoria defixit cœlum obnubilantia. Palatia loquor,

quor, Auditores, insanæ molis substructiones, atria multo auro radiantia, laxas porticus, centum suffultas columnis, thalamos fornicatos, maiorum imaginibus, plenos, turres cœlum elata fronte ferientes, progeniem Nembroti reuiuisse putares, non tam fabricarum magnitudine, quàm varietate linguarum. Pauper iam sibi quisque videtur, ac sordidus, nisi parietes tenui marmore inducti, pretiosis etiam orbibus fulserint, nisi Ægyptio saxo in varia picturæ genera diminuto pauimentum texuerit, nisi tecta auro perfuderit, gauisus illo mendacio oculos fallere, nisi locum omnem, leuemque particulam Numidicis crustis implerit. Quãtum statuarum inanem luxum non testantium, sed detestantium, quantum columnarum nihil, nisi domini vanitatem sustinentium, quas eò pulchriores existimat corrupta moralitas, quò pluribus maculis asperguntur? Saxa iam ex varijs mundi partibus aduehuntur vni domui construendæ; quæ prius è vili arundine, vel tabulis luto glutinabatur; euisceratur terra, flagellantur maria, excinduntur syluæ, complanantur montes, assurgit ad cœlum immensæ amplitudinis opus, tanquam non sibi palatium victuris erigerent, sed morituris Mausoleum. Ita ne igitur adhuc homines, Titanium genus, in cœlum, aggestis montibus, conantur irrumpere? Adeò ne non ignem duntaxat, sed etiam lapides in altum euolare conspicimus? Illa sit vobis ab oculos aurea Neronis domus, quam non satis lucere putauit efferatissimus Cæsarum, nisi

ex vrbis incendio, quot aulas in longam areari productas, quot porticus ad tria milliaria protensas, quot stagna, maris ad instar expansa, quot inambulationes vmbrosis pergulis opacatas, quot villas omni arborum genere consitas, non alio custode dracone, quàm Cæsare, quot belluas inclusit ex Hircania deuectas, vno Nerone mitiores? Cœnationem habuit inter cætera figuræ rotunditate versatile, quæ diebus, ac noctibus, ad instar orbis, æterna vertigine circumacta, nouas semper expulas exponebat, vnde pro niuibus flores, pro imbribus vnguenta, per fistulas fundebantur, pro Ioue ille assidebat ad mensam, propinabatque in aurea patera, non raptus è Phrygia puer, sed nec puer, nec puella, Sporus. Occurrat animo magni Imperatoris Chami palarium, quatuor muris præcinctum, quorum quilibet ad octo passuum millia porrigitur, cuius vastitatis in medio ædes regiæ consurgunt, auro tecte solidissimo; occurrat Iauæ maioris Insulæ regis magnificentia, qui atrium extruxit, ad cuius aulam pluribus gradibus ascenderetur, quorum alter aurus, alter esset argenteus, parietes aureis à dextera, argenteis à sinistra laminis tegerentur, vt solis regiam non admirer amplius ab Ouidio fabulosè descriptam, claram micante auro, flammasque imitante pyropo, cum aurea legerim palatia ab hominibus habitata. Quid referam hortos pensiles in summitate domus, omni plantarum varietate vernantes ortis inde radicibus, quò vix cacumen arboris peruenisset?

Quid

Quid memorem ſaturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, varijſque coloribus diſtinctam, & artibus ſupellectilem, belluata Babylonica, Phrygionum opera picta, Damaſcena holoſerica, aulæa innumeris interpuncta filorum mæandris, quorum inanem copiam nullus tàm benè perſtrinxit, quàm qui domus vocauit impedimenta? Quid perſequar thermas, vbi ſimul cum amictu veſtis honor corporis, ac pudor exuitur, vbi ſordidat lauatio, non abluit, non emundat membra, ſed maculat? Loquatur illa apud Martialem Læuina antiquis caſtior Sabinis, quæ Baianis ſe aquis purgatura, Penelope venerat, abijt Helene; quot enim matronæ, dum veniunt ad aquas incidunt in flammas, Veneremque experiuntur adultam, quæ pupula emerſit ex vndis; Deſcenditur modo in balneas, non vt ſudorem cum Scipionibus, militiaque ſordes abſtergant, ſed vt vnguentum, non ſæpè diluuntur, vt mundi ſint, ſed quia immundiſſimi. Loquatur Heliogabalus, qui non niſi infectis vnguento nobili, aut croco piſcinis innatauit, an vt lauari ſimul, & colorari poſſet? an verò vt fætidam corporis luxuriem ſuaui odore compeſceret? Quid recenſeam illita minio triclinia, Micam Domitiani, Timonium Antonij, Hermæum Claudij, Mammeam Alexandri, Apollinem Luculli, vbi, velut ſub aurato tentorio, ad ſubigendam frugalitatem, caſtra collocauerat gula? Conſpiceret hìc licet menſas citreas, elephantinis pedibus ſuffultas, æſtimatum lignum ſenatoris cenſu, eò pretioſius, quò illud

in plures nodos arboris infelicitas torsit. Hic riguntur in aram chrystallina pocula, quorum accendit fragilitas pretium, anagalypta imaginibus eminentibus aspera, vasa Sidonia vtroque latere ansata, diatreti tessellati, vel torno ducti, corilæ in formam concauam, scythia in imo angusta, cymbia in speciem nauigij, carchesia in proceram magnitudinem assurgentia, ne vehicula desint ad ebrietatem. Vnum inter cæteros calicem habuit chrystallinum Verus Imperator nomine volucrem, non tam ex eius æqui nomine, quem dilexit, quàm quòd illins ad manus sæpissimè conuolaret; Vnam patinam Vitellius immenso constantem, quam Mineruæ clypeum appellabat, verè Spartani militis imitator, qui cum hoc scuto pugnabat, & in hoc. Cæterùm quàm peregrina cupedia, quàm exotica fercula mensam onerant? Iam compertum est omnibus, camelorum calcanea, cristas gallinaceis viuentibus demptas, pauonum, linguas, & luscinianum, vno conuiuio datas ab Heliogabalo, cœnam è solis canorarum auium linguis à Claudio Æsopi tragœdi filio paratam, margaritas aceto subactas à Caligula, Suem inclusis animalibus grauidum ab anonymo, quem lepidè Cincius, dum luxum immodicum carperet, porcum Troianum appellauit, vt Troianus olim equus, grauidus armatis fuit. Prætereo Antoninum Getam prandia per literas singulas instruere solitum, pullumque, perdicem, pauonem, piscem, perdam vnis epulis apponere, ad quas singula non literarum elementa, sed elementa mundi omnia suas opes

trans-

transmitterent: sileo, Octauium classis Romanæ præfectum, cum ignotum Italicis litoribus scarum agnosceret, incredibilem scarorum multitudinem nauibus aduectam inter Hostiam, & Campaniæ litus in mare sparsisse, ne aqua terræ forsan inuideret, dum ista fugibus, illa piscibus seminaretur; omitto, Vedium Pollionem murænas humano sanguine saginasse, illicque deuorandos seruos obiecisse, vt hoc saltem pacto Romanus Antiphares humanis carnibus piscium ventre decoctis vesceretur: subticeo, belluas ipsas immotas in obscuro contineri, vt sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadat, & super membra torpentia ingens pinguedo succrescat: relinquo exquisita vinorum genera, Setinum, Fundanum, Falernum, Opimianum, Surrentinum, Picatum, Albanum, vnguentis mixta pocula, vt blandius ingrederetur; aquam frigidam, decoctam, niuibus algentem, calidam, vel immutato Imperatoris nomine nobilitatam, qui vt primùm Tiberius Claudius Nero, ità postea Biberius, Caldeus, Mero, factus populo luctus audiuit. Apicium vobis produco, altissimum nepotum omnium gurgitem, qui cum sestertium millies in conquinam congessisset, cum tot congiaria principum, & ingens capitolij vectigal singulis commensationibus obligurisset, ære oppressus alieno, fortunas suas ad calculum reuocare coactus, cum sibi centies centena millia superesse deprehendisset, summa velut inopia confectus, extrema potione venenum absorbuit. Quam insaturabilis auri libido, dum in magna auri

copia sibi videbatur egenus? Et quidem tàm insanæ mentis homini non hellebori succus, sed medicatum poculum erat hauriendum. Nunquàm illi gulosiùs est factum, quàm cum mortem vltima cęna deuorauit. Carum adeò fuit huiusmodi poculum, vt nunquam tàm carò vel biberit, vel cęnarit. Sed omnium excelluisse arbitror prodigorum ingenia Caligulam, qui aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem, præter, portentosissima eduliorum genera, conuiuis ex auro panes, & obsonia præposuit. Hæc enimuerò auri sacra fames dici poterat, ad quàm explēdam aureæ dapes inferebantur. Eliquarunt alij aurum, vt potabile redderent, hic solidas obdurauit in epulas, vt comestibile efficeret. Crassi faucibus dum Parthico inhiat auro, liquidum aurum infusum est; tibi infligenda erat pœna consimilis, vt si aurum totius vrbis esurieras, nihil, nisi cibos aureos auido dente morderes. Nolebat, vt Chabrias in iudicium postulari, quòd constitutis horis tenui victu pransitaret, sed quotiescumque gula imperasset, ganeones accumbere iubēbat ad mensam, quam solis mensam appellare posses, opiparis ferculis perpetuò stratam, nisi nocturna conuiuia ad auroram vsque temulentus produxisset. Quanta ordinis peruersitas fuit, dum vrbs tota dormiret, è lecto surgere ad helluandum, quasi natura oculos impartisset, causa tenebrarum, aut ille vnus esset Antipodum, qui, vt M. Cato loquitur nec Orientem vnquam solem viderunt, nec Occidentem. Cœcos non inuidisse Caligulæ arbitror, cum diem ille nunquam aspiceret,

qui-

quinimò nec mortuos, si languidum, & vino marcidum intueri potuisset, cum inter cereos, ac faces conuiueret, an moreretur, carne inter viuos morticina? Liburnicas è cedrinis tabulis Ægypti Reges æmulatus extruxit gemmatis puppibus, versicoloribus velis inauratis transtris, remigibus coronatis: Hic agrum vitibus, pomiferisque arboribus consitum incluserat, sub quibus discumbens inter choros, & symphoniacos Campaniæ litora legeret, ne Cyclades insulas miraremur in Ægeo pelago tripudiantes: hic thermas dulcibus aquis stagnantes adhibuit, ne Virginem amplius aquam, sed deuirginatam, atque pollutam contineret oceanus; triclinia fabrefecit ad epulandum, vt ingestam saginam maris auxilio faciliùs posset egerere, scorta secum duxit, formiosioresque lupas, vt plures Veneres mare cognosceret, vel Sirenes. Sed naufragium faciemus, nisi portum appetimus. Suas sibi habeant delicias trossuli Numidæ, nos animum scientijs expolire doctrinis conuestire debemus. Incumbamus veræ pulchritudini, quæ à virtutum lineamentis, à bonarum artium coloribus petitur, solido disciplinarum succo, & sapientiæ medullis pascatur ingenium, hominem non corporis, sed animi ornamenta constituunt.

IN ARDELIONES.

ORATIO

Habita Romæ in Collegio Clementino, pro ſtudiorum inſtauratione.

Anno Domini M. DC. XXIX.

AVdiſtis anno proximè elapſo (N. N.) indiſertum me rhetorem, non corpus, ſed animum excolendum, inopi dicendi copia probantem. Verùm, quia ferè ſemper ad extrema pererrat, vel errat in extremis humana cupiditas, factum eſt, neſcio quo fato, vt dum animum informare diſciplinis aliqui cupiũt, iniquè deforment, dum omnem ſcire literaturam affectant, ne literam quidem ſcire deprehendantur. Hos ego de maiorum canone, vt vitia ſugillem, appello *Callipides*, qui aſſiduo ſe motu verſantes, ne cubitum quidem procedunt, hominum ſimios, dum ſingulas induere perſonas enituntur, Thraſones omnia ſibi temerè vendicantes, Bellerophontes inſaniæ pegaſo in cœlum ſuperbiæ deuectos, Daretes magno ſe nugarum apparatu, apud gregem plebeculæ iactitantes, Attalos, qui nihil agentes, ſatagunt nihilominus, vno verbo ARDELIONES.

Ad calcem orationis perueni, ſi huiuſmodi ta-

di tabularum ſpectanda conditio; verùm ſi in capitale flagitium linguam acuere debet orator, penè ordior à capite. Date mihi per eam, qua noſtrum in Athenæum frequentiſſimi conueniſtis, humanitatem, vt ſciolos iſtos, vniuerſam profitentes encyclopædiam acriori ſermone perſtringam; date, vt liberiori oratione ſemiobolarem iſtorum doctrinam euertam: ita fiet, vt ſuum cognoſcat vnaquæque ſcientia cultorem.

Verùm, quia in immenſum, varijs rerum dicendarum fluctibus iactata raperetur oratio, portum diuerſas apud artes, veſtræ beneuolentiæ obſecundante aura, ſæpius appellet, felicique alite ſenſim progreſſa apud Grammaticam ſiſtet.

Nolo Grammaticos in ſua ſe pellicula continentes Lycambæo dente mordere, nolo vltra crepidam non egreſſos impetere contumelijs; illos non poſſum non onerare conuicijs, qui, vt puri Grammatici, hoc eſt, puri Aſini moleſtum nomen excutiant, de rebus, in quibus peregrinantur, ineptiſſimè garriunt. Fingite igitur animis aliquem è Grammaticorum turba Gymnaſiarcham, qui detritam, ac planè ſeptagenariam ſibi lacernam obducens, in gyrum excurrenti latè capitis operimento pileatus, barbitio ad pectus defluente verendus, perſpicillis ad aurem intercepto naſo diductis, ſuſpenſo ad cingulum tortis de funiculis flagello, Catoniano ſupercilio oculos vtrinque contorquens, teſtitudineo paſſu conſcendat exedram, vbi pituitam ab imo pulmone, quaſi per trochleas adductam eijciens, graui, ſed

bene ſonanti voce pronunciet, Cum ego Cato. Tunc enimuerò tot pariter pelues, tot tintinnabulo pulſari credetis, cum huiuſmodi ludimagiſtrum excurrere modò in rhethorum officinas audietis, modò philoſophorum arculas reſerare, modò à theologia delibare nonnulla, in aduerbijs commendare venuſtatem cum oratoribus, in verbis verum, & falſum, æquiuocum, amphibologicum diſtinguere ſenſum cum dialecticis, rerum naturam indagare cum phyſicis, perſonas ab hypoſtaſi ſeiungere cum metaphyſicis, in numeris explicandis ad arithmeticam tranſilire, in generibus Porphyrij Iſagogen afferre, in articulis theologicam methodum indicare. Quid, cum in vnius voculæ enucleatione prolixas horas impendit, indigitat etymon, ſyllabarum numerum commentatur, characterem lynceis exanimat oculis, literas ſingulas cenſoria caſtigat arundine, an, Oſtium, poſtulet aſpirationem, vt hoſtes deſignet, an repudiet aſpirationem, vt exprimat ianuam, cum ipſe iure ſuo meliùs verſetur in Ianua ſum rudibus. Auertat Deus à capite talem articulum meo, vt cum huiuſmodi malè feriatis hominibus de rerum peritia contendam, timerem vtique, ne vel Stentorea dicacitate mihi aures obtunderent, vel ingenij famam, quæ quàm ſit exigua, ſentio, Cerbera vocalitate laniarent. Excipite per veſtram ſapientiam (Auditores) cuiuſdam inſipientiam nebulionis, & mecum impudentiſſimi ARDELIONIS ſtupete linguam neſcio dicam ne præcipitem,

an ancipitem. Apud florentissimam Italiæ ciuitatem concionabatur illa Seraphicæ tuba Religionis, Italus ille Pericles Cornelius Mussus Episcopus Butuntinensium, & quia tanti viri fama, vniuersam per vrbem, glorioso nomine percrebuerat, confluebant ad illum audiendum ex omni ordine homines, non secus ac olim ad Romanæ conditorem historiæ, ab extremis Hispaniæ finibus, ciues Gaditani conuolarunt. Fortè anonymi Pædagogi mentem incessit cupiditas adeundi, & audiendi Cornelij; templum igitur adit, pauxillum in genua procumbit, locum sibi studiosè comparat, non concionem, sed fucatæ Veneres orationis bibulis auribus expectans. Tenuit suggesti medium Cornelius, auditoribus reuerentiam nudato capite exhibuit, cælites in genua prouolutus sibi rogauit propitios, corpus cum dignitate composuit, vestes aptauit ad gestum, tùm facto silentio, proloquium à similitudine deriuauit. Vt audiuit sciolus ille Grammaticus, celebrem adeò diuini verbi præconem à comparatione concionis fila prætexere, mussitare impotenter incepit, tumultuari vocibus intercisis, interturbare consessum, furere, fugere, templo discedere, aures præcludere manibus, obstrepere mirabundus; Istene est virorum eloquentissimus, ad cuius nugas excipiendas, ciuitas vniuersa, proprijs quasi sedibus conuulsa luctatur? Istene oratorum primipilaris, qui vtitur pedestri sermone gregarius? Istane præcepta retulit à Ciceronis oratore? Nescit Quintilianum locutuleius tyro; ò

malè locatos Musis, & Apollini labores, ò leges rethorum infractas, ò tempora, ò mores? Præcipiat Tullius, canones exordij præfiniat Hermogenes, fontes, vnde hauriantur, initia commostret Agricola, vnus cœnobita male feriatus, vniuersa proculcat. Quid de Rhemnio illo Palæmone proferam, qui secum, & natas, & interituras literas apertis concrepabat tibijs, nomenque suum in Bucolicis non temerè positum ab Homero latino, cum Damœte, & Mœnalcæ carminum iudicem Palæmonem pastorem inuexit, sed prædiuinantem Virgilium, Sybillino quasi libro præsagisse, euocandum aliquando in Ducem à Deo præpotenti Palæmonem, quem se venditabat, qui omnium poetarum opera critico iudicio collibraret?

Sed age, soluamus à portu Grammaticæ, & per humaniorum literarum spatia diuagantes, nostrum circumuehamus ARDELIONEM. Hìc ille triumphabit, quasi de laurea securus, & elementaria cognitione vix, ac ne vix quidem infectus eclypsim, synalœpham, pentemimerim, grandia illa nomina producet in medium, epistolas, chriar, communes locos, gnomas, ethopœias reuocabit in digitos, statuam in curia postulabit, quòd castigarit apicem, ab Apelle pingi, vel à Pyrgotele sculpi, quasi cum Annibale Romanas acies profligarit ad Cannas, aut cum Thrasybulo Ateniensium ciuitatem durissimo tyrannorum seruitio vindicarit. Si ad insignem conatum, epigramma consuerit, aut etiam elegos; tunc

enim-

enimuerò exclamabit, mirabitur, manu, nutu, voce, oculis histrioniam exercebit, captans vndique basia, longum illud Euge, & gloriosum Sophos, vel ab inuitis extorquebit, cum nihilominus aut ad calendas Græcas versiculum promp serit, aut tardiùs, quàm elephanti pariant, hexametrum miserè consarcinarit. Mitior in magno clamor furebat amphiteatro, cum pugnantes parma Thraces tergeminis turba Quiritum honoribus euehebat; nec ita grauiter, percussis incubidus, metalla resonant, cum faber aurora albicante, Vulcano desudat in opere, sicut ARDELIO eximia se iactatione deprædicans tonat voce, fulminat gestu, permiscet vniuersa. Quòd si remissiùs agenda sit res, adeò frigidè prouinciam sustinebit recitatoris, vt thermas refrigerare possit Neronianas, qualiter olim ex oratione Sextij, se tussim, & morbum traxisse quærebatur Catullus. Quàm salsè Hispanus ille vates fastidientem nauseabunda recitationem Lygurinum irrisit.

Et stanti legis, & legis sedenti,
In thermas fugio, sonas ad aurem,
Piscinam peto, non licet natare,
Ad cęnam propero, tenes euntem,
Ad cęnam venio, fugas edentem.
Lassus dormio, suscitas iacentem,
Hoc valdè vitium periculosum est.
Quid sit, scire cupis? nimis poeta es.

Quid cum ad redimendam auditorum molestiam geniales omninò cęnas sternebant in Apolline, vt opiparis ferculis deliniti conuiuæ disertum hominem acclama-

 rent,

rent, cum veriùs non ille, sed fuiſſet cœna diſerta? Non ita tygris raptis citata catulis, non ita dipſas ſole medio peruſta, non ità ſcorpius improbus timetur, vt ARDELIONVM antiqui conſuetudinem abhorrebant. Cœnam olim Thyeſtæ ſolem fugiſſe nobis fabulæ tranſmiſerunt, ſed recitantium menſas quoties declinarunt aures Romanæ, quia licèt exquiſita palatum edulia titillarent, recitatio tamen enecaret auditum, vndè meritò dolebat ille.

Nolo mihi ponas rhombum, mullumue bilibrem

Nec volo boletos, oſtrea nolo, tace.

Sed euadamus ex huiuſmodi ſyrtibus, & vaſtor rethoricæ ſinus emetiamur. Non poſſum hic verbis frenum inijcere, quin concitata in ARDELIONES erumpant: Igitur numeris abſolutum omnibus oratorem te vocitabis ARDELIO? Igitur in albo eloquentum, qualem ſe vidiſſe neminem dolebat Antonius, tuum nomen inſcribes? Igitur de quacumque re ad dicendum propoſita copioſum ſermonem effundere profiteberis? Ita eſt, Auditores, ſe putat Atticam muſam cum ſit Amuſus, ſe cycnum arbitrabatur, cum pœnè ſit graculus. Rideo ego Græcorum Rhetorum coryphæum, Gorgiam Leontinum, de omni argumento ſe interpellari poſcentem; rideo Eleum Hyppiam in quinquennali ludorum celebritate nihil eſſe, quod ipſæ neſciret, efferentem, Gorgias præ noſtro ARDELIONE eſt analphabetus, Hyppias abecedarius. Si digerenda ſit in partes oratio,

tio, recenſebit ille quatuor ad faſtidium vſque decantatas in ſcholis partes, exordium, narrationem, confirmationem, perorationem; verùm ſi tanquam ad Polycleti canonem exordium compaginare voluerit, ex vetere aliqua oratione. Iouem ego opt. max. aut, Vellem, ſi fieri potuiſſet, Iudices, ſuffurabitur; tùm inanibus verborum aut fractibus in longum, cruciarijs veluti funibus diſtorquebit, & dum totam excurriſſe orationem putabitis, tunc hærebit, velut Cantherius in limine. Si narrationem expedire mens fuerit, illam ordietur ab ouo, rem trahet, diſtrahet anilibus ineptijs, ſi confirmationis argumenta ſtipabit, paralogiſmos, & ſophiſticas congeret tumultuario captiones: ſi breui collecta gyro cupiet vniuerſa recolere, emendicata repetitione pueriliter ne ſyllabam quidem præteribit, vt in alteram recenter orationem peroratio tranſeat. Si verba placet ad lancem traducere, antiquata, obſoleta, ſubrancida, qualia nec mater Euandri loquebatur, è veterum fodiſſe monumentis reperiemus, putantem ſe magnos eruiſſe theſauros, vbi omnia ficulnea ſunt, ſe gemmis, & vnionibus variegaſſe periodum, vbi vetuſtum aliquid è Plauto, vel Catone potuerit expiſcari, vel nuperum, & ſuo Marte fabrefactum intrudere. Chirtilium pro roſtris defendebat olim Siſenna (quæſo ineptum literatorem attendite diligenter Auditores) mirificus verborum Iogodædalos, & vt à vocibus abhorrebat communibus, Chirtilij ſputatilica dixit eſſe facinora. Deterritus

fuit

fuit illa recentis vrbi nouitate C. Rufius antagonista, & quasi metu quateretur insolito, circumuenior, inquit, Iudices, nisi subuenitis: Sisenna, quid dicas, nescio, metuo insidias, timeo dolos? Sputatilica, quid est hoc? quid sonat sputatilica? Sputa, quid sit, scio, tilica nescio. Si actionem libet expendere, vultum vel supinum ad arrogantiam, vel rigidum ad barbariem effinget, supercilijs cum Pisone, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso respiciet, corrugabit nares, inquietabit digito porriget, scindet, adstringet labia, humeros attollet, deprimet, mulierculas imitatus inflectet, micabit digitis, rotabit brachia, supplodet pedibus: quid plura? Vultis ARDELIONIS imaginem, & in rhetorico puluere Polyhistoris, viuis quasi coloribus exprimam? Accipite. Sit in primis audax, nauiter impudens, insignite nescius, cum pretiosissima talis viri supellex sit ignorantia. Releget ad extremos Indos, & paulo antè fabulosos antipodas pudorem, & verecundiam. Stentoris vocem vocalissimam, ac planè cantillantem ex imo pectoris sonorè profundat: barbatum Æsculapium squalenti pilorum sylua posthabeat, amictu nec omninò suffarcinatus, nec malè præcinctus; libellum pictis luxuriantem vmbilicis, vel bullis inoculatum argentes præferat manibus, in omnium se cætus immisceat, protrita quædam, ac nota lippis, & tonsoribus verba sæpissimè iaciat, Quamquam, Arbitrabar ego, esse videatur; putidum Isocratem; inurbanum

num Demosthenem, frigidum Platonem, Tullium elinguem redarguat, se alpha oratorum, rethorum antesignanum, Regem fori, Dominum comitiorum appellet; date veniam, vt illum verius ego nuncupem clamatorem, quàm declamatorem, aratorem potius, quàm oratorem. Recolite veteres animo sophistas, triuiales illos Mathæologos, diuites verborum nundinatores, qui ventosam Græculorum nugacitatem, & vendibilem eloquentiam ad clepsydram profitentes, contra Socratis institutum hoc tantum scirent, quòd omnia scirent, quin potius hoc tantùm nescirent, quòd omnia ignorarent, vel si tam multa scirent, mirum est maximè, quod se nescirent. Trasylaum quendam tanta insania fuisse correptum, loquuntur historiæ, vt quotquot naues in Pyræum adpellerent, crederet suas, voluptate maxima numeraret, diuitias, delicias fortunæ suæ in aurem omnibus obgarriret. Perindè se habent, aut etiam deteriùs huiusmodi pseudorhetores, ingenio Boeotij, in scientijs peregrini, rasæ tabulæ, honorem sibi alienum perfricta fronte deposcunt, cùm proprium exuerint, omnes se tenere disciplinas obmurmurant, cum sint hospites in tabella. Sed quæso non pudeat Æsopum, deridiculum alioquin monstruosa deformitate mancipium, ad irridendos ARDELIONVM conatus vocare. Æsopum norunt omnes qui literas norunt, scilicet hominem acuminato capite, quòd æquè pilis tegitur, ac cicatricibus, frontè ful-
cis

cis enormibus inarat, naso in foraminibus amplo, in spina depresso, oculis in specum recedentibus, auribus immanitate barrinis, nigris labris, & liberaliter prominentibus, hispida barba ad mentum inhærenter inflexa, supinato pro breuitate ceruicis occipite, ventrosum, valgum, incurum, qui Thersiten forsan Homericum formæ turpitudine superaret. Æsopum igitur mercator Ephesinus venalem expositurus, Samium in emporium duobus cum pueris, altero musico, grammatico altero, & corporis elegantia, & leui doctrina commendatis aduexit. Fortè Xanthus nominis non pœnitendi philosophus, discipulorum stipatus agmine, contendit in forum, vbi turpissimum hominem, siue melius stipitem hominis, formosis interiectum adolescentibns conspicatus, & ridere cepit egregium mastigiæ deformis aspectum, & mercatoris admirari consilium, qui comparatione deterrima pueros reddidisse amœnitores. Tùm propiùs ad catastam accedens, venales adolescentes de il orum artibus percontaturus, sciscitatur à musico, quàm disciplinam calleret. Musicus, ne se ignauum omninò fateretur, se scire respondit, Omnia. Hic Æsopus, plumbeis ad risum labris, & buxeis dentibus ad iocum solutis, tanta vastitate buccam purulentam laxauit, vt cachinnos etiam discipulis spectaculo circumfusis eliceret. Pergit Xanthus Grammaticum interpellare, quid sciret? ille non minus exhaustæ verecundiæ,

diæ, procaciori lingua respondit, Omnia. Non potuit Æsopus, ita se continere, quin eadem sanna exfrontem adolescentem exciperet, quare cum despicatissimum sannionem, ità sociorum responsa rictu, & risu deludere cerneret Xanthus, quid facere nosset ab ipso repente quæsiuit: Nihil, respondit Æsopus. Nihil? planè nihil: An non tu furciferos istos, & verberones audisti, qui omnia se tenere gloriantur? Quid reliqui factum esse mihi putas? Nihil. Dispeream, nisi ita res cum ARDELIONIBVS cadit; Illi per omnem disciplinarum circulum peruolitarunt, sunt helluones, librorum, voluminum gurgites, vorant, deglutiunt, auctores; illorum iudicio Plato cæcutit, Aristoteles ineptit, Cicero garrit, Aquinas delirat, Peripatetici omnes, cimmerijs versantes in tenebris, ad lucem veritatis hallucinantur.

ARDELIONEM in historijs cupitis experiri? omnes ille historias breui temporis curriculo rediget in Ephemeriden, Xerxes, Alexandros Romulos, Fabios ore conuoluet, exemplis adglutinabit exempla, & si quid speciosum occurret animo, quasi gladium delphicum, ad omnem vsum inflectet. Si dictis auditor arrideat, tum à Deucalionis, & Pirrhæ nuptijs retexet ordinem, Atheniensium cicadas, Romanorum fibulas, Arcadum lunulas commentabitur, quomodo nauigetur Athos, pedibus terratur Hellespontus, sol Persarum telis opacetur, quot Aquilæ forent in Romana legione,

quem

quem numerum remigum Vlysses haberet vtro oculo careret Annibal, stultissimè effutiet; cum veriùs sit illum mentis oculo cæcutire. Annon cæcutiuit ille, qui per obuia historiarum collectanea discurrens, & annalium breuialia consectans D. Augustinum pro D. Augustino Imperatore legebat? Non cæcutiuit ille, qui palimpsestum tricis quibusdam, & apinis verborum infarciens, Thucididem; & Philistum in historia superaturum se prædicabat?

In iurisprudentia, vt altius videatur iura callere, Trebatium loquetur, & Cæsellinum, Auruncorum; Sicanorumque iamdiu leges ignotas, & cum Carmenta sepultas, Iliadem glossematum, legum Centonem, auctorum Myriadem allegabit, Trebonianum è cœlo delapsum putabis, cum in illum melius torqueri valeant in fatuos patronos proiecta dicteria, moneta tonsa, quia careat literis Doctor necessitatis, quia cum legibus nauet operam, sit sine legibus.

Si de arte medica sermo est, nunquam tam concinnè, tamquè opportunè Galenus, aut Hippocrates. Tessali cuiusdam Neronis imperio florentis superior ætas adhæc vsque tempora nomen transmisit, qui cuncta maiorum placita obliterans, & œstro quodam in omnes æui medicos iniquè iactatus, Iatronicem se suscripsit, quasi medicorum victorem. Quid de Menecrate dicam, qui cum casu quodam desperatæ salutis ægrotos à feretro vindicasset, illos de pacta mercede coegit, vt assentatione veteratoriam se Iouem appellarent? O bellum Iouem, qui tam im-

improuide iuuaret ęgrotos? fatiùs te, vt Veiouem coluiſſent, non vt aliquid auxilij, ſed ne noxam inferres. Hoc igitur cognomento vir arrogantis ingenij delectatus, Ageſilao daturus epiſtolam, hanc præfixit epigraphen; Menecrates Iupiter Ageſilao Regi ſalutem. Excanduit eo titulo Ageſilaus, & Menecrates, inquit, erit Iupiter, Rex tantùm Ageſilaus? an fulmen erit epiſtola non tam manu vibrata; quàm ore? ſanè ſi cadentia fulmina reboanus præuenit tonitru, valdè tonat in epiſtolæ fronte huiuſmodi Iupiter. Quid ni Aquila, Iouis internuncia, præpetibus librata pennis, epiſtolam detulit? fortaſſe ad calamum aptandum pennis Aquilam deplumauit. O Iouem amentem, qui pro ambroſia indigeret helleboro, pro nectare pharmacum haurire deberet. Sic Menecratis inſaniam irriſit Ageſilaus, & aſpernatus euoluere vlterius, reſponſum atramento exarauit, cum debuiſſet ſanguinem, ſtylo cum melius gladio Ageſilaus Menecrati ſanitatem.

In logicis Chryſippæam eludit ſubtilitatem, valeat Zeno, valeat Protagoras, omnes in dialecticorum arena verſatiſſimos, in angulum vnus adducet ARDELLIO. Quid cum, per vniuerſas argumentorum figuras excurrens, varijs rationum mæandris ingenium illaqueabit, tnndem ſingulari mentis acumine illud euincet: Mus eſt in muro, ergo Deus non eſt in cœlo?

Naturalem ingreſſus philoſophiam penitiora rerum arcana introſpicit oculis, ſi de principijs interrogas, ridet Anaxagoram infinita principia ſomniantem, ridet Pla-

Platonem, qui duo, carpit Aristotelem, qui tria in scholas inuexit, ipse vnum tantùm admittit, nempè scientiæ priuationem. Si de causis loqueris, cum sit nescio quo casu in orbem euocatus, vt monstrum, omnia temerè contingere asseuerabit: si de quantitate sciscitaris, superficiem tantum agnoscit, quia vix rerum superficiem intelligit; si de loco, vacuum concedit potius in capite, quàm in orbe; si de motu, negat momentaneum, cum sit ipse testudineus; si de infinito, se tantùm existimabit infinitæ penè sapientiæ; si de tempore, suum nomen nunquam inter moriturum; si de cœlo, cœlos esse teretes, cum sit ipse rotundus; si de elementis, pauca producet, quia versatur in elementis, vel aerem præferet alijs, quia ipse ventosus; si de corruptibili, & generabili corpore, Andabatarum more pugnabit, quia ipse eductus è *stipite*; si de anima, Pythagoræ metempsychosin admittet, quia totus transit in belluam; si de metaphysica periculum facis, se vnum verum, bonum vndequaque, bellum arte pile, bellum arte lyræ, facientem omnia bellè, vocibus ampullatis ostentabit.

Nollem vastum Theologiæ pelagus malè compacta orationis cymba peruadere, sed in hos æstus ARDELIONVM me turbo compellit. In rimandis igitur Theologiæ reconditioris arcanis, est plane lynceus ARDELIO. Orationi meæ fidem conciliet Laurentius Valla Grammaticorũ æquè princeps, ac optimas ARDELIONVM, qui contra instructissimas

theo-

theologorum phalanges, nescio quid inter hypostasim, & personam discriminis ineptè commentus, ferula munitus, & supercilio, personæ nomen laruis saturnalitijs competere, non diuinæ hypostasi scelestissimè peierauit. Sed in eodem gymnasio, vbi Socrates de philosophia disserebat, aliquis fortasse otium tessera fallebat, aut pila: vt mirum non sit, è sutrina prosilientem grammaticum, dum vltra corium pedem efferre contendit, personæ nomen ipsi Deo à viris tributum sapientibus, laruis tantummodo, insiparijs adiudicasse. Vitium est hoc hominum loquaciorum, qui vbi primoribus labris facultatem aliquam degustarunt, se Socrates, Apollinis oraculo sapientissimos arbitrantur, ac vitio Pisoniano, cum loqui nesciant, sermonem cohibere minimè valent, sibique videntur argutuli, licèt omni sint pistillo retusiores. Tandem respondeant vltima primis; sunt isti Dauliæ cornices, Arabici tibicines, ęre Dodonęo loquaciores hirundinum musça, vocaliores cicada, musarum aues, prolixiores Iliade, Architæ crepitacula, dum omnium aures importuna garrulitate delassant. Quorum ne videar ego, insanam æmulari multiloquentiam, & humanissimis, ac doctissimis viris creare velle fastidium, satis per ARDELIONVM vitia diuagatus, defigam hic anchoram, securus consistam in litore.

Dicebam.

Di-

Disciplinas faciliùs per aures, quam per oculos in ingenium transmitti.

ORATIO.

Habita Romæ in Classe Rhetoricæ, cum cepit auctor eloquentiam profiteri.

Anno M. DC. XXVII.

DVo sunt, quæ mortalium animis auctrix rerum natura consevit N. N. inuenire disciplinas, & addiscere inuentas. Sed enim cum longa annorum serie, pertinaci studio, scientias penè omnes in lucem inuexerint primi rerum abditarum indagatores, illud solummodo videntur nobis fecisse reliquum, vt accommodam addiscendi rationem, imbuendis adolescentum ingenijs, expediremus. Verùm vt dissidentia sunt hominum capita, ita pro genio quisque suo musis collocat operam, liberalesque artes inuita se Minerua existimat aggredi, cum alieno ductui obstrictus, propriæ non sequitur libidinem voluntatis. Chærephontem Socratis discipulum, per amica lunæ silentia, libris euoluendis impalluisse, loquuntur historiæ; Theophrastum autem ab Aristotelis ore pendere, solidamque virtutem per aures in ingenium transmittere maluisse, veterum monumenta testantur. Ego vero vt operosum, molestumque semper existi-

maui

mani laborem, qui in terrendis auctorum codicibus impenditur, ità opportuniùs illos ſum arbitratus, incumbere ſtudijs, qui vinam docentis vocem libenter excipiunt, emanantemque ab ore præceptoris doctrinam, bibulis auribus, auidiſſimè abſorbent. Pro hac igitur parte, in hoc ſapientum theatro pugnabo, Auditores eruditiſſimi, non tam vt diſcipulos meos ab inanium lectione librorum abſterream, quàm vt illorum aures meæ diligentiæ appoſito argumento conciliem, ne ſurdis omninò canere videar.

Doleo igitur cum Seneca ſtudioſam quorundam luxuriam, qui cedrinis loculamentis miſera ſcriptorum volumina damnant, florentemque pluribus librorum millibus bibliothecam inſtruunt, titulis gaudentes, & vmbilicis, cum tamen nullum illorum, prima excepta pagella, perlegerint, ſed potius inter eruditas ingeniorum delicias oſcitarint. Tantam enim librorum ſupellectilem non in ſtudium comparant, ſed in ſpectaculum, non in cultum animi, ſed parietum; tenent in vinculis libertatis animi vindices, qui ſi forſan erumperent, ſuaſque partes agere poſſent, ineptum dominum ad iudicium, arctiſſimi carceris euocarent. Quàm ſtulta de librorum multitudine gloria, quos ignores? Caluiſium Sabinum imitatis, qui ſeruorum ſuorum ſcientiam oſtentabat, dum intumeſcis, quòd parietes habeas eruditos, vel pueris quàm ſimilis eſſe deprehenderis, quibus per noctem integram lampades ardent, ſed parùm

adui-

tora perquirendis præceptoribus appulisse reperietis. Pythagoras, vt magicis excelleret artibus, emenso sæpius oceano, ad Persas vsque penetrauit; Pilato, suscepta orbis peregrinatione, ad scientiarum adeptionem annos viginti contulit; Cicero Athenas, Pontum, Asiam, repetitis itineribus perlustrauit; Apollonius Thyanæus, monstrum illud humanæ virtutis, quæ non traiecit maria, quæ non regna peruasit? inuisit Græciam, pertransijt Arabiam, cucurrit Æthyopiam, processit in Indiam, coniecit se vsque ad extrema mundi confinia, & quorsum ista? nisi, vt quam librorum cineribus frigidam, ac penè demortuam repererat, in hominum linguis viuam, spirantemque virtutem, velut è solio dissserentem audiret? Sed esto primas disciplinas, insita omnibus imitandi facultate adolescentes acquirant, an poterunt selectæ florem eloquentiæ, inuolutas logicæ syrtes, obscura physicæ arcana, subtiles metaphysicæ theses, innumeros theologiæ nodos delibare, euadere, indagare, dirimere, extricare? Quid capere aliarum artium difficultates imperuias, quæ numero mentem obruunt, labore deterrent versatilem etiam aciem ingenij; quid linguarum addiscere varietatem, tot characteribus distinctam, tot præceptis implicatam, tàm difficili pronuntiandi ratione permistam? Virtutis domicilium super inaccessæ rupis apicem veteres collocarunt, ad quem summo vix labore possemus adrepere, nos facili ascensu sublimen verticem præ-

teruolare credemus? Quot Bellerophontes, dum ingenij pegaso rerum altissimarum peritiam nituntur attingere, ipsis excidunt ausis, quæ nimia periclitatione tentauerant? Quot Icari rerum felicitate gestarum elati, proprij sudoris aquis obruuntur, quibus ad cœlum euolare putabant? Gloriari quidem bono suo possunt rarissimi hominum, propitio cœli vbere largiùs enutriti; iactare possunt sibi genus ab Ioue summo, numerare parentes aquilas, & accipites proauos, quòd minimè conniuentibus oculis sapientiæ fulgorem sustineant; sed in mundi theatro non proijciuntur hæc munera promiscuè cuicumqne; vnum natura phœnicem ad solis noluit radios caligare. Impositum olim lapidum aceruo Mercurium hærentibus in triuio itinera commonstrantem sæpè legistis, Auditores; quia ductore opus est, atque doctore, viam virtutis inuiam terentibus, ni salebris implicari cupiunt, vel à recto tramite toto cœlo deflectere. Quid cum Theseum effingunt Minotaurum in Cretæo labyrintho subegisse, seque Dædali astu, Ariadnæque auxilio de flexuosis viarum erroribus expedisse, nonne per inextricabiles scientiarum anfractus, alieno nos indigere consilio declarant? Iupiter ipse, vt Plato loquitur, in orbe condendo quemdam videtur habuisse consiliarium, quasi supremum illud religiosæ vetustatis numen concinnè adeò mundum compingere nesciuisset, inoculare cœlum sideribus coruscantibus, tellurem pingere amænissima viriditate, conuestire ar-
bo-

bores luxuriantibus frondibus ditare maria vnionibus, ac lapillis, terræ imum, igni summum, aeri, & aquæ intermedium locum ascribere, nisi socium in mirabili opificio admisisset, rerumque gerendarum consultorem. Sed enim hoc sacris forsam à paginis mutuauit, vbi rerum molitor omnium Deus, in primi formatione parentis, diuinos ita personas allocutus esse describitur: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Proh quàm accommodè theologorum hùc dogmata veniunt? Sinite, Auditores, me ne animum tollere altiùs ad sublimia. Sanctissimæ Triadis opera ad extrà, vt scholarum vocem vsurpem, indiuisa esse, abyssus sapientiæ, Thomas edocuit, itaut nullam Pater rem valeat vnquam in lucem euocare, quin ad eandem è nihilo prouehendam, & Filius, & Sacer Spiritus vnanimi suffragio conspirent. Faciamus hominem. Alloquitur æterni Senatus beatissimas personas, quid de homine diuinam ad imaginem compaginando, voto sentiant suo; alloquitur sapientissimos æqualis, & interminata ætate seniores, an conditi orbis incolam, vniuersis terræ belluis imperaturum, procreare conducat: nimirum, vt innotesceret nobis, dedecere hominem, in rebus arduis aggrediendis, propria dulci libidine ingenij, cum Deus ipse, à consorte diuinitatis consessu, voluntatis arbitrium exquisierit. Habet, habet viua vox latentem quandam energiam, qua sese animis insinuet etiam inuitis, cumque per aures ad mentem sensuum delata vehiculis permea-

rit, imprimat ibi firmiter disciplinas. Cur sibi oculos ad philosophiam accessurus effodisset Democritus, nisi vt, clausis oculis, totam per aures in animum lucem transfunderet, ac tunc lynceus fieret occultè veritatis inspector, cum sedulus esset alienæ vocis auditor? Cur cęcos in omni ferè disciplinarum genere versatissimos reperimus, nisi quia transmisse per oculos rerum species ingenium ad plura rapiunt, imò tenebras illi quodammodò offundunt, oculis lucis beneficio nouas imagines suggerentibus? In choro poetarum primam occupat sedem Homerus, cæcus belli Troiani scriptor, descriptor occulatus: Inter oratores eminet Appius Claudus, qui mentis oculis pacem cum Pyrrho inhonestam fore præuidens, in curiam delatus felici illam euentu dissuasit. In iurisprudentia antesignanus fuit omnium C. Drusus, quem cęcum in causis ducem, pedibus in eius sententiam eundo, sequebantur; Apud theologos, quibus euehitur præconijs cęcus ille Didymus, diuinarum peritia literarum illustris? Bellica laude quantùm floruit Ioannes Rex ille Bohemus, qui pro Gallis aduersus Anglos ancipiti marte decertans, cum suas inclinare acies intellexisset, in eam dirigi partem, vbi Rex hostium cum robore exercitus dimicabat, enixè contendit, tum equo stimulis adacto, eò se præcipitem dedit, quò spectare alij, cęcumque oculis prosequi vix audebant. Hoc enim verè fuit cęco marte contendere, cum bellator præferuidus clausis oculis, Andaba-

tarum moræ pugnaret. Fortunæ cęcæ deuelauit oculos, vt cerneret, à cęco se duce medijs in certaminibus quæritari. At illum hic mihi video scopulum obijci; ad mathematicas artes addiscendas oculis magis, quàm auribus discipulum indigere, cum nequeat rerum figuras, & corporum percipere dimensiones, nisi ipsis oculis linearum ductus, & longitudo subijciatur. Verùm, vt ego arbitror, plurimùm esse oculis tribuendum, ita viros cęcitate laborantes inuenio, mathematicarum peritia clarissimos Diodorum Stoicum loquor, Ciceronis didascalum, qui geometricis descriptionibus operam collocans, alienis manibus lineas protrahi præcipiens, suo de illis ingenio disserebat; Loquor Aloysium Grottum, lumen illud Atrianæ ciuitatis; qui luculentissimos de sphæris cœlestibus libros posteritati dereliquit, supernorumque orbium naturam, licet orbus inspexit. Aures igitur à vobis postulo, Adolescentes optimi, & vt olim à discipulo Isocrates mentem, & calamum exigebat, ita attentionem, & studium vobis summopere profutura deposco. Claudam egregio Hesiodi vatis effato, optimum esse, qui per se omnia nouit, quod solius est diuini intellectus, proximum, huic, qui viros sapientes audit, qui neutrum præstat, penitus esse inutilem.

Dicebam.

In eos, qui sua studia præcipitant.

ORATIO.

Habita Muriani in Seminario Patriarchali pro studiorum instauratione.

Anno Domini M. DC. XXXIV.

TAnta est humani ingenij in disciplinarum adeptione peruersitas, vt auidissimam sciendi cupiditatem, quam cordibus omnium natura parens inseuit, opportunis nolint homines studijs exaturare, sed festinatis obruere. Iocularia sunt ista præcocium Adolescentum deliramenta, qui, vt ingenij celeritatem ostentent, vanæ gloriosæ pellecti delicijs nondum delibatis rei grammaticæ primordijs ad altiores artes manibus illotis irrumpunt satis se adeptos celebritatis existimanter, cum scientias omnes primo transcursu velut è limine consalutarint, nullam penitus introspexerint. Verùm, vt semen nullum, quamuis bonus ager ac fertilis magno reddit cum fęnore, nisi illud gremio mollito, atque altius subacto sparsum acceperit, ita summis excolenda laboribus est versatilis etiam ingenij præstantia ne perfunctoria doctrina leuiter imbuti studiorum herbas amputare cogamur, antequam in segetem maturescant. Qui enim

ad

ad altioris doctrinæ fastigium cupit ascendere auctorum volumina non cursim legere debet, sed pedetentim incedere, non inconsultò præteruolare, sed attentissimè insistere, non sorbere animo, sed sugere, mandere consideratione, non oculis deuorare, non populari trutina, sed accuratissimo iudicio, tamquam aurificis statera perpendere. Et quoniam prætermissa iam studia hodierna debemus luce solemni lustratione repetere, adolescentibus nostris, ne in annua nauigatione naufragium faciant iussus sum ipse tot eruditis ductoribus nauta imperitior intento veluti digito ostendere scopulos solerti velificatione fugiendos.

Neque vero pro signo monstrante polum, pro astro duce nauigationis indigitabo maiorem, aut minorem Vrsam, quibus Nautæ veteres vtebantur, ac nostri, sed Vrsam lambentem fœtus suos, quàm Virgilius imitatione laudabili sequebatur, vt non contenti scriptionibus, quas nostrum ebulliuit ingenium ad exprimenda in nobis quadrati hominis imaginem adspiremus. Indigitabo Delphinum anchoræ implicitum à Tito Cæsare, vt nimiam velocitatem morosa tarditate temperandam sciamns. Indigitabo celeberrimum Augusti numisma, in quo nobiliori fortasse inuento, quàm Titus, illud idem præceptum expressit, cum fulmen, & terminum iussit insculpi tacitè monens non debere stylum multa scribendi cupiditate per codicillos fulminis instar rapi, & incredibili celeri-

tate decurrere, vt benè longam vno die orationem euomas, aut sexcentos versus stans pede in vno profundas, sed debere velocitatem fulminis termini stabilitate retineri, vt stylus in scribendo tardum fulmen, & celer terminus videatur vt eloquentiæ studiosus in lucubrando laudabiliter lentè festinet. Cur modo priscum illum scientiarum virorem nostra hac tempestate penè exaruisse dolemus, cur desormi quasi senio confectæ, prostratæque iacent disciplinæ, cur eam maiestatem, quàm præfert in hominibus excellens, exquisitaque doctrina iam penè apud omnes despectam deploramus, nisi quia desultorij scientiarum indagatores, imperitique ardeliones contemptibilem obstruserunt? Vana siquidem, ac planè ridenda nonnullos inuasit opinio, non esse pertinaci studio ad Cleanthis lucernam miseris chartis impallescendum, sed sufficere multiplicis eruditionis libros prima lecta pagella leuiter percurrisse, cum in ciuili consuetudine nunquam, vel saltem raro Philosophorum, aut doctorum hominum placita seueriori lance librentur, sed per mutua colloquia, velut prætereundo recolantur. Sanè illud in rebus à natura productis fieri cernimus, vt quæ leuioribus orsa principijs effudit, paulisper ad amœnissimum florem elegantiæ perducat; arbores enim primùm inoculantur, mox pubescunt, folia enata pube formantur, formata panduntur, hinc flosculos ridere, gemmas turgescere, fructus tumescere videas, vt ma-

gnum

gnum illorum dedecus existimandum sit, qui cum ad florem eloquentiæ adolescere deberent, fructus se reddere copiosissimos festinata maturitate glorientur. Egregiè iocatus est in huiusmodi sciolos, & polyhistores Menedemus Eretriensis, cum illos, qui studiorum causa Athenas concederent primo anno Philosophos fieri, secundo Rhetores, tertio rerum omnium imperitos aculeato sanè scommate pronunciauit: fit enim sæpissimè, vt qui Orbem illum disciplinarum, quem Plato vocauit Encyclopædiam, percurrisse omnem glorientur, ac proinde statuam in curia postulant, vel in Prytaneo publicis sumptibus enutriti deposcunt, *hospites in elementaria tabella inueniantur, primisque in literis peregrini*. Quamobrem rectè monet Arrianus eos, qui festinanter nimium Philosophiæ fundamenta iacere, cereas de rebus habere opiniones, *quæ* primo Solis ictæ radio repentè linquescunt Icari temeritatem æmulatos, qui cum medio tutissimus ire negligeret defluentibus præ nimio Solis æstu pennis in vastum, non tam aquarum, quàm ignominiæ pelagus temerario ausa præcipitauit. Illos ego appellarem apposita comparatione Tarentini Architæ Columbas, dum humani fauoris aura compulsa, alta quædam, & eximia meditantur; verùm deficiente statim vento extabescunt, & ad terram allisi franguntur: appellarem Ætnæos venatores, qui, velut inuita Diana feras persequantur, captant semper, capiunt nihil; cum enim Siciliæ

floribus vndequaque vernantibus picturata sit, eorumdem fragrantia canum alioquin sagacium nares ita hebetantur, vt olfactu carere iudicentur; ita dum per florea librorum vireta diuagantur nasutuli scientiarum desultores, non modò à rebus serijs abducuntur, sed in ipso conatu, in ipso cursu languescunt: Imbuuntur enim plerumque inani quadam ex stimatione propriæ virtutis, & Hispanicas equas imitari concepto Fauonio intumescunt, cumque spem hanc vel indulgentes nimium patres, vel indocti interdum præceptores enutriant, & latent, nil mirum, si, cum ad sapientiam creuisse velut adulti creduntur, serpente ad genas languine reperiantur infantes. Ostentant illi quidem extemporalem scribendi facultatem, ac subitariam mentis igneæ lucem, velut prompti, atque in numerato positi ingenij argumentum: verùm, si me audias, habent illi in numerato ingenium, sed tamquam monetam tonsam, literis carentem, habent lucem, sed è fumo natam in ictu oculi pereuntem. Exemplo sit vobis Hermogenes, qui annos natus octodecim artem Rhetoricam edidit, sed cum quartum, & vicesimum attigisset, mente lapsus, omniumque penè rerum oblitus ineptiuit, ne solùm Poetica sanos Helicone Vates excluderet, cum etiam Rhetorica lymphaticum aliquando in delirantibus Oratoribus furorem admittere compellatur. Exemplo sit Cæsar Caligula, qui præcoci festinatione plures disciplinas edoctus, lunam tandem velut amasiam nocturno tempore vo-

cabat in amplexus, lunaticum eo ipso caput, quod lunam amore sui deliquium pati putaret, vel imminuta interdum luce colliquefieri. Quàm sapienter igitur virtutis domicilium confragosis in rupibus, ad quas non nisi magno nisu liceret adrepere, ingeniosa collocauit antiquitas; quia fęlicissimo virtutis hospitio nullus excipitur, nisi qui peracutos vepres, & saxa penetrauit, inaccessamque viam difficili expeditione planauerit. Huc non inscitè refero mysticum illud biuium, duplicemque illam portam, alteram, quæ mortis regiam intrantibus aperit capacem, & amplam, alteram, quæ vitæ, & virtutis nimis angustam, & humilem; quò gygantes illi terreni, & grandia spirantes Polyphæmi non inferunt pedem, quò nullus Sardanapalus, nullus Epicurus cum turgido saginati ventris tympano penetrat, solus studiosus, pallore squalidus, macie diminutus ingreditur. Et cur olim Mineruæ Statuas sedentis specie fieri solitas legimus, cur aliquando etiam testudinem pede præmere fingebantur, nisi quia Palladis sectatores in bonis artibus capessendis testudineo debeant passu procedere, quiescentisque animi compositione plurimùm immorari? An non in rebus etiam bellicis idem prosecuti sunt institutum prudentissimi Romanæ Reipublicæ patres, cum Terentio Varroni iuueniliter exultanti Paulum Æmilium ætate, & consilio maturum adsociarunt, vt sua prudentia furorem alterius temperaret; cum Fabium Maximum eum quidem cunctato-

rem Marcello iunxerunt, vt huius celeritatem sua moderatione reprimeret? Equo frequenter excutit insessorem nimia pernicitas; impetusque suus sæpè sternit aurigam in verbera ruentem, ac pronum, qui nullum subijsset mortis articulnm, si cum moderamine, ac mora reducere voluisset habenas. Recogitate Elephantum decem annis, vt fama percrebuit, vel biennio, si naturæ interpreti credimus Aristoteli, materni vteri carceribus contineri, vt integer, absolutus, expectationi respondens in lucem edatur: recogitate canem multos quidem, paucis tantùm à conceptu diebus, sed clausis oculis propemodum cęcos emittere catulos, vt fatuis profectò sit tempestiua maturitate parientibus ingenijs fæsus prodire tardiores; quàm abortus celeriter editos propediem interituros. Quantùm in libris desudauit laboriosus ille Cleanthes, vel Asini titulo gloriosus, quòd solus ferre posset magistri sarcinam Zenonis, vel iure Herculis cognomentum promeritus, quòd ipsum Alcidem monstrorum domitorem laborum numero, & magnitudine superarit? Quantùm laborauit Attica illa Syren Demosthenes, vt laciniosum Thucididis stylum imbiberet, dum nullius pari labore Thucididem totum, quantus quantus est, octies manu propria descripsit, vt vberrimum illum dicendi modum exsorberet, hauriret, ac suum faceret? Dionysius ille non temulentus, & belluo, qui à Poetis describitur, sed bellator, & sobrius, cum Indiam magnis

pro-

prælijs accisam subegisset, pro clarissimo suæ gloriæ ttiumpho templum habuit sexcentis sexaginta quinque gradibus è sapphiro constructis impositum, vt ostenderet, se per totidem virtutum, egregièque factorum non incruentum decus ad illius honoris apicem ascendisse. Tu verò humani monstrum ingenij tuorum Narcisse operum, tanto tui ipsius amore capieris, vt quasi bicipiti in Parnasso somniaueris, aut Caballino fonte labra prolueris, poesim, scientiasque omnes hausisse arbitreris? Quæ statim præstigiæ tuos oculos occuparunt, vt tam citò tua tibi placeant omnia, vt simul editum calamo perfectum existimes tui fœtum ingenij? Nescis precocem, nimisque celerem cucurbitam in altum se cacumen breui admodum spatio efferentem leui momento deficere? Nescis infantes, qui citò dentire incipiunt, celerrimè dentes excutere, eosque, qui citiùs ingrediuntur, ac pedibus insistunt, inualidis, minùsque firmis cruribus esse solere? Nescis, quod olim Alcestes cuidam obijcienti, quòd non nisi tres versus immenso labore consarcinasset, cum ipse centum præcipitante calamo proiecisset, piperato diuerbio responderit? Benè, inquit, nam tui in triduum tantummodo, mei verò, in æuum omne sufficient. O responsum ijs accomodatissimum, quorum calami non scribunt, sed scriptitant, non exarant, sed arant, non pingunt, sed tingunt, non velut ab alis volucrum auulsæ pennæ, pigri sunt, & tardi; sed ad pristinam naturam volucrum recurrentes, consuetudinemque pennarum nimia pernici-

tate

tate volare videntur. Sit virtutis semita perplexis ambagibus, ac spinis obsita; sit prærupto calle saxis aspertimis arduo confragosa, vepres omnes, ac senticeta desultores isti scientiarum innoffenso pede percurrent, quasi secum liquores illos Chymicorum afferrent, quibus durissimos lapides emollescere, & ferrea marmora infringi Chrysopæiæ professores ostendunt. Non ita Xeuxis prædicto Poetæ planè dissimilis, qui Agatarcho pictori depingendi celebritate magnos sibi spiritus assumenti, moderatamque huius tarditatem imprudenter, atque impudenter vellicanti longo se quidem, dixit, temporis interuallo depingere, sed in longum quoque tempus prospiciendo æternitati depingere. Quàm vellem igitur, Adolescentes optimi, vt blandimentis sensuum posthabitis ad literas addiscendas toto pectore incumberetis; quàm vellem, vt puerilibus ineptijs, & festinatione relicta, pertinacibus studijs inhærentes, vestro nomini immortalitatem, stylo perpetuam laudem, labori decus æternum quæreretis. Illud vestris resideat natura ita comparatum esse, vt nihil magnum citò fiat nullumque solemnibus coronarij in Olympijs, dulcis sine puluere palmæ.

Dicebam.

AC-

ACCERSITA GENTILITAS.

AD Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

OBſcurum eſt illud B. P, quod in meridiana diei claritate cęlum portendit, dum inopinato noui luminis radio collucet. Ambigo, an reſulſerit in nocte dies, an verò cum die nox ipſa permanſerit, cum ſidus adhuc per cœli ſpatia percurrat, ſolque iam extimam terræ faciem irradiarit. An, edito in hanc auram Bethlemitico infantulo, ſtellæ ſimul cum ſole ſplendeſcunt, vt diem multiplici face ſuccendant, vel potius nox eſt, quàm ſtellis, & ſole nouus ſol ipſe conueſtit, vt emicare faciat in media nocte meridiem? An quod ineptè Plotinus aſſeruit, preces noſtras, & iaculata in altum ex imo corde ſuſpiria ſtellæ percipiunt, nouumque ſidus ex orbe ſuo prodijt, vt vagientis in fœno pupuli, vilibuſque implicati faſciolis eiulatur audiret? An ſtellæ, vt fabulantur Aſtronomi, ſolem quocumque proceſſerit, inſequuntur, cumque ſol ex oriente caput extulerit, iſta quo-

que

quę ſtella in oriente primum aſpecta, Hieroſolymitanam ad vrbem cum ſole feſtinat? An potius, vt conſequentibus annis cum ſtellam in aeris ſpatio fulgere vidiſſet Hadrianus, Antinoi formoſiſſimi pueri ſidus eſſe retulit, quem fabricandis ille præſtigijs immolauerat, ita occiſum ab origine mundi, & in crucis ara offerendum demonſtrat hæc ſtella puerulum, vt omnes teterrimi hoſtis inſidias à noſtro capite euertat? Hoc ſanè arbitror voluiſſe nuperum ſidus indicare, & ab extremis terræ partibus Sabæos euocare Dynaſtas, regio comitatu venerabundos, vt nouo infantis imperio libera colla ſubmitterent, qui non venerat, vt pugnaret viuus, ſed vt triumpharet occiſus. Agedum igitur dum lingua in aeris campo ignita Deum prædicat, & admiſſas ad Dei amplexus gentes muto ſermone gratulatur, non taceat, qualicumque verborum apparatu, de iſtis noſtræ religionis auſpicijs oratoris infantia.

Allegarat in terras ſupremus rerum omnium molitor vnigenitum *filium*, vt Deus Iudæorum eſſet, & gentium, vniuerſaſque ad ſe pertraheret omnium voluntates, nec ſineret, in barathrum æternæ labi calamitatis, quos erat, ſanguinis effuſione, ab antiqui draconis faucibus erepturus. Debebant iſti duo parietes, qui venerant ex diuerſo, in lapidem, qui factus eſt in caput anguli, coire; poſitus eſt in medio lapis angularis, vt vtrumque ad ſe parietem duceret, vnumque redderet communione vocabuli, quò fierent vnum in vna

gratia

gratia Sacramenti. At obstinata Hebræorum perfidia porrigenti dexteram Deo renuit annuere, sed in sua obfirmata duritie in vitiorum cęno iacere voluit, cum vocaretur ad cęlum. Ita pisces, quos capitones appellant, aquam adeò cœlestem oderunt, vt excæcari dicantur prorsus vt Hebræi, quorum dum mentes Deus maioribus irrigauit muneribus, tùm melius orbati sunt oculis, vt ducem videre non possent, vel stella, quæ solis rotam decore vincebat, commostrante. Verè capitones, turgenti superbiæ capite, cęlo aduersantes, gygantum genus, excæcati corde, populus obdurescens, familia Pharaonis. Mysterium huiusce veritatis quid ego recenseam in irrogata super Iacob, & Esau benedictione propositum? Vtrique apprecatus est pater de rore cęli, & de pinguedine terræ affluentiam, sed rorem cęli terræ pinguedini præmisit in Iacob, pinguedinem rori præposuit in Esau, quia licèt super vtrumque gratia cęlestis deberet impluere, Iacob tamen gentilitatis Imaginem referens, in cęlum magis esset oculos, & desideria directurus, Esau verò, Hebræorum simulacrum, cęli rore cæcutiens mundi vellet commodis adhærere. Nunquam adeò graphicè psaltes ille diuinus euentum huiusmodi præsignauit, quàm cum Deum descensurum nos monuit, sicut pluuiam in vellus, & sicut stillicidia super terram stillantia. Heu vellus non iam aureum, sed è morbido ouium grege detonsum; heu pharisaicæ animantia caulæ? quot in vos beneficiorum cataclysmi defluxerunt, quoties, in

in cordis vestri tellurem, cœli cataractæ munerum effudere torrentes? quid profecistis? Cibum olim leuissimum stomachus vester delicatè fastidijt, carnibus, in morem pulueris, ex alto demissis benè saginati cæpas, & allia, proritando palato, quæritastis, Deum natum stella noua, cœli quasi digitus indicat, vos ab itinere deflectitis, aberratis? Verè super vellus cecidit pluuia, quia super pecudes. Felices Reges, nouella Romanæ vineæ germina, qui rorem insignis adeò beneficij libentissimè combiberunt, vt etiam nimio ardentis cœli calore torrefacta tellus orientis, hiantibus vbique rimulis, multiplici velut ore, pluuiam conclamans, vbi solutis nubibus imbres ceciderunt, auidissimè absorbet. Repetamus animo, Patres, cum æstuanti siti torqueretur Dauid, aquam cisternæ Betlemicæ quanto ardore expetiuerit, qua fortitudine in obseptas ferro acies strenui commilitones irruperint, & haustum galea liquorem quàm celeriter deportarint. Bibe, Iudæe Imperator, auidam exple cupiditatem, ablue fauces iam aridas, saltem degusta, quid renuis? An vitam recreare frigida respuit, quæ alios in vitæ discrimen adduxit. An mauis hostium victoriam aquæ profusione demergere? An aquæ potum vertere cupis in sanguinis saturitatem? An times ne à ferrea casside ferrum contraxerit? An, vt aqua sparsim proiecta symbolum sit sanguineæ inimicorum cladis? An potius tuæ gentis flagitium præcurrenti mysterio declaras, quæ cum Christum aquæ fontem in vitam æternam salientis, suis, vt ita loquar,

quar, in manibus habuisset, illius aquarum dulcedinem delibare noluit, sed aspernata est? Ignea olim columna per cimmerias Ægypti tenebras eduxit incolumes, in meridiana luce, stellæ Deum ostendentis ductum non sequuntur. Potuit portentum hoc ab oriente Reges excire barbaros, Israelem, gentem electam edocere non potuit. Nouerant sapientissimi Reges, Mineruæ, hoc est, fictæ sapientiæ ne tali die, Rhodum insulam auro fuisse pluuio consparsam, cumque stellam auream cernerent, in terras aurea luce depluere, non è Iouis capite, sed è Virginis vtero, veràm prodijsse sapientiam coniecerunt. Hinc præter alia munera, aurum adoraturi largiuntur, vt nouo prodigio non cœlum dumtaxat, sed ipsam quoque terram auro facerent exundare. Tunc patuit oraculi veritas: Populus, quem non cognoui seruiuit mihi. Sed quæ res vnquam, quæ atomus diuinam potest latere sapientiam? Cognouit quidem, sed, vt Rupertus enucleat, non cognouisse pronuntiat, quia sculptus non erat in duodecim lapidibus rationalis. Elegerat sibi Deus duodenos Hebræorum ordines adoptarat sibi populum vnicè carum, sed heu? satis habuit in lapide scribi gens planè silicea, in signum adamantinæ obstinationis. Nouam ad se Deus vocauit gentium Ecclesiam, quæ cum non contineretur in literis, nouum in cœli tabula aperuit stella docente, alphabetum, vel in terris iam conscriptam cœli asterisco designauit. Nos fuimus in huius sortem hæreditatis electi, vt ablegatis idolorum cultibus Deo viuenti de-

deseruiremus, & qui eramus longè, reuersi de regione, ac religione longinqua infidelitatis, fieremus propè, capiti nostro adhærentes, genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis. Vtinam sicuti tàm feliciter ab oriente gratiæ cęlestis, vitæ spiritalis iter incepimus inuento domino, per statum gloriæ, eodem obtento perfruamur in patria.

Dicebam,

TRI-

Triplex sub vno sidere lumen gratiæ.

A D

Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

NOuas semper excogitat rapiendi cordis humani rationes diuinus amor, B. P. Cęlos celare nobis diuinam bonitatem non arbitror, sed potius, ignitò siderum eloquio, Dei gloriam enarrare, patefacere maiestatem. Ecce noua stella iacentem in cunis infantem enuntiat, quia vel ille adhuc expers loquendi laceris vagiebat in pannis, vel quia inconditam, similemque omnibus vocem, scelera nostra deplorans emittebat. Quamquàm sidus hoc pyramidato radio comatum, opportuniori cometem vocabulo dixerim, cum hebraico populo supremum minitetur exitium, erumpentemque gentibus fœlicitatem portendat. Dum enim Sabæo è suis regionibus Principes euocat, dum per spatium longissimi itineris comitatur, dum pleno delapsæ maiestatis in stabulo sistit, illud tandem nobis insinuat, Deum cœlestis munere gratiæ corda præuenire mortalium, socium in via salutis accedere, in patriam securos inferre. Hæc vbi demonstrauero, stellæ signum

inter

inter tot lumina Romanæ curiæ demonstrauero.

Nascitur igitur stella in oriente, quia tenebricosis in mentibus, gratia quoque diuina solem iustitiæ percurrit. Deus ne relinqueret in obscura errorum caligine gentes cupidas lucis, duplicem aperuit orientem, seu potius à profani ritus occasu ad Romanæ veritatis orientem euocauit. Quomodò enim vnum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo dijs totidem, quot sideribus seruiebat? Quomodò astronomus Deum inueniret in stellis, nisi stella Deum ad terram descendisse commoneret? Quomodo reuocatam ab idolorum cultu nationem sibi Christus desponderet in fide, nisi diuinus amor nuptialem è cęlo facem præferret? Quinimò æternus ille sponsus dilectam suam antecedere voluit, & quoniam peregrina veniebat è regione longinqua, domicilium illi excipiendæ, quamuis in alieno disposuit. Hinc rectè cum Adamum Euæ cęlestis Hymen iunxisset, sanctoque coniugij fędere copulasset, daturus seræ posteritati præceptum, viro potissimum, vt patrem relinqueret, iussit, & adhæreret vxori. Oblitos ne dicam huius decreti tardos, bardosque degeneris familiæ nepotes, cum nostris hisce temporibus virgines soleant, paternis abscedere domibus & in mariti se lares cum dote transferre? Nonne mulier in alienam inserta gentem, alterius etiam gentilitatis euadit? Hærerem, si de terreno connubio sacræ paginæ loqueretur oraculum, sed

cum

cum diuinæ mentis interpres, Apostolus Sacramentum hoc explicet, magnum esse in Christo, & Ecclesia, quis non videat Deum ad despondendam sibi animam, leges humanas præuertere, suæque primùm igniculo gratiæ nostrum amorem accendere? Cur in præsepe descendit, vt pastor, nisi vt ouem quæ perierat, reperiret? cur nocturnum tempus, furis ad instar, tenebrarum silentia quæritantis elegit, nisi vt hominum corda alto scelerum veterno consopita furaretur? Sed ecce, quos è suis eduxit vrbibus reges, eodem sidere prosequente, Hierosolymam comitatur, quia nunquam cęlestem festinantes in patriam diuina gratia destituit. Non illos montium inhospita terruerunt, non igneam voluntatem persurrentes in arenis Ægyptis venti difflarunt; non immensi itineris longitudo lassauit; vberior in atrociori discrimine virtus conceditur, plura beneficia periclitanti populo condonantur. Quæ maiora supplicia, quam in rebellem Ionam expediebantur? Fremunt fluctus irati maris, sæuit diris ventorum turbinibus immissa tempestas, cęlum atrarum nubium concursu conglobatum non alio, quàm igneo fulminum lumine coloratur, nauis extremo salutis articulo, vel alliditur scopulis, vel vndis immergitur; vela vento disrupta, nautæ locorum ignari, rudentium stridor, dissonæ voces, complorantium lacrymæ consequuntur, immanis bellua hominem voratura paratur, sed inter tot indignati numinis argumenta, felicitat summa di-

gno-

inter tot lumina Romanæ curiæ demonstrauero.

Nascitur igitur stella in oriente, quia tenebricosis in mentibus, gratia quoque diuina solem iustitiæ percurrit. Deus ne relinqueret in obscura errorum caligine, gentes cupidas lucis, duplicem aperuit orientem, seu potius à profani ritus occasu ad Romanæ veritatis orientem euocauit. Quomodò enim vnum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo dijs totidem, quot sideribus seruiebat? Quomodò astronomus Deum inueniret in stellis, nisi stella Deum ad terram descendisse commoneret? Quomodo reuocatam ab idolorum cultu nationem sibi Christus desponderet in fide, nisi diuinus amor nuptialem è cęlo facem præferret? Quinimò æternus ille sponsus dilectam suam antecedere voluit, & quoniam peregrina veniebat è regione longinqua, domicilium illi excipiendæ, quamuis in alieno disposuit. Hinc rectè cum Adamum Euæ cęlestis Hymen iunxisset, sanctoque coniugij fędere copulasset, daturus seræ posteritati præceptum, viro potissimum, vt patrem relinqueret, iussit, & adhæreret vxori. Oblitos ne dicam huius decreti tardos, bardosque degeneris familiæ nepotes, cum nostris hisce temporibus virgines soleant, paternis abscedere domibus & in mariti se lares cum dote transferre? Nonne mulier in alienam inserta gentem, alterius etiam gentilitatis euadit? Hærerem, si de terreno connubio sacræ paginæ loqueretur oraculum, sed

cum

cum diuinæ mentis interpres, Apoſtolus Sacramentum hoc explicet, magnum eſſe in Chriſto, & Eccleſia, quis non videat Deum ad deſpondendam ſibi animam, leges humanas præuertere, ſuæque primùm igniculo gratiæ noſtrum amorem accendere? Cur in præſepe deſcendit, vt paſtor, niſi vt ouem quæ perierat, reperiret? cur nocturnum tempus, furis ad inſtar, tenebrarum ſilentia quæritantis elegit, niſi vt hominum corda alto ſcelerum veterno conſopita furaretur? Sed ecce, quos è ſuis eduxit vrbibus reges, eodem ſidere proſequente, Hieroſolymam comitatur, quia nunquam cęleſtem feſtinantes in patriam diuina gratia deſtituit. Non illos montium inhoſpita terruerunt, non igneam voluntatem perſurrentes in arenis Ægyptis venti difflarunt, non immenſi itineris longitudo laſſauit, vberior in atrociori diſcrimine virtus conceditur, plura beneficia periclitanti populo condonantur. Quæ maiora, ſupplicia, quam in rebellem Ionam expediebantur? Fremunt fluctus irati maris, ſæuit diris ventorum turbinibus immiſſa, tempeſtas, cęlum atrarum nubium concurſu conglobatum non alio, quàm igneo fulminum lumine coloratur, nauis extremo ſalutis articulo, vel alliditur ſcopulis, vel vndis immergitur; vela vento diſrupta, nautæ locorum ignari, rudentium ſtridor; diſſonæ voces, complorantium lacrymæ conſequuntur, immanis bellua hominem voratura paratur, ſed inter tot indignati numinis argumenta, felicitat ſumma digno-

gnoſcitur, quòd vniuerſa hæc calamitatum genera manu Dei tractabantur. Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. Quare autem præparauit, niſi vt pro morte præberet habitaculum, vt qui in mari iratum ſenſerat Deum, in morte propitium inueniret? Cur præparauit, niſi vt à naui, in qua fluctuabat, piſcis transferret in ventrem, velut in portum? Nautarum feritati ſubduxit, vt belluæ commendaret, è manibus amicorum in animantis tranſtulit fauces, è gladijs in dentes, & quem viuum pati non poterant ſocij, in feræ viſceribus eſſe voluit illæſum. Non clauditur ineluctabili vecte, cœleſtibus in theſauris diuina gratia, ſed omnibus promiſcuè, theatralis in morem pecuniæ, profunditur; vult illa, cunctos ſuis locupletari muneribus, ſi velint ipſi diteſcere. Repetite, cum veteris teſtamenti Thaumaturgus, Eliſæus Sareptanæ viduæ delinitus inopia, ſoluendo creditoribus oleo, in vaſis adauxit, nunquàm ſtetiſſe oleum, niſi cum vaſa deficerent, quia in hominum genus diuina ſemper largitas ſupereffluit, miſericordia diffunditur, niſi vel illam plena ſordibus corda ſceleſtorum excludant, vel ad inſtar fatuarum virginum, oleum in vaſis habere recuſent. Quamquàm tanto hominem ſtudio deperit Deus, vt ſi aliquando illuſtrationum aculeo figit animum, plerumque transfigat, ſi cœleſtium voluptatum obſidione ſenſum ſtringit, conſenſum etiam, licet non coactum, adſtringat. Et Agenorea quidem apud veteres

agen-

agendi fuit poteſtas, ac dea, quæ Stimula, & Strenua ſimul appellata templi foribus ſemper apertis, induſtriam in vrbem inferre credebatur: Nos verò aliam colimus, quæ templi cœleſtis oſtium recludit, efficacem gratiam, quæ omnipotenti auxilio ſatagere nos facit ad certitudinem glorię, quæ otij neſcia, negotioſa ſemper, nihil humano cum arbitrio mouet, quod non promoueat. Sileatur præclariſſimum Veneris ſimulachrum à Phidia ſemel inchoatum, abſolutum à nemine, quod in Diui Cæſaris templum poſtea delatum gloriam deorum pretioſa iactura diminuit: in æterni illius templi ſacrarium nullus ingreditur, quin gratiæ dono cumulatus in viri perfecti ſe prorſus imaginem transformarit. Venus eſt Verticordia, ac Suada flexanima, quæ ſua ſe pulchritudine adamantinis etiam cordibus inſerit, traductiſque ad obſequium Chriſti cupiditatibus, ad bonorum operum culmen intendit alacriter, procedit proſperè, feliciter regnat. Illam mihi nunc obijcio virgam amygdalinam, quam propheta vigilantem aſpexit, ſeu potius vigilare facientem, ramos enim amygdalæ dormientium capiti ſuppoſitos ſomnum diſcutere, & ad excubias conferre, naturales loquuntur hiſtoriæ; cum efficax gratia viros turpi ſitu ſqualentes, diroque ſcelerum veterno ſepultos, æternam excitet ad ſalutem. Hodiernos mihi nunc audire videor Reges, deterſa erroris caligine ſibi redditos, accepto de beneficio loquentes: Errauimus in cœlo cum aſtris errantibus, cęli negotia in tenebris noctium perquiſiuimus, in noſtris otioſi;

cognouimus cuncta, quæ videntur in cœlis clara humanis oculis, profundis eſſe obſcurata myſterijs, cùm non adeò ſtellæ micent in cœlo, vt carnem illuxiſſe contemplamur in terris. Stella iſta non ſuum peragebat curſum, ſed noſtrum, cum ſtaret manentibus, procedentibus ambularet. Cur Rex Iudæorum non fulget in purpura, ſed ſqualet in pannis? Cur latet in ſpecu, non decumbit in templo? Verè cum diues eſſet, noſtra factus eſt pauper in carne, & habere cœpit ſtellam vnam, qui totam ſtellarum numerat multitudinem. Talibus ſibi gratulatos arbitror Dynaſtas Arabicos, vt Chriſtianam Rempublicam primi Eccleſiæ filij docerent, eos, qui alta contemplantur, cadere; turpeque eſſe, qui ſua neſcit in terris vitia deprendere, velle aliena in ſideribus perſcrutari.

Dicebam.

Di-

Diuinus sub ignito sidere spiritus.

AD

Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

ORientalium regum profectionem sidere duce ad seruatoris mapalia properantium sequuturo mihi, nescio quid potius, in ipso itineri exordio, occurrat B P. Vereor, ne stellam admiratus quidem clarissimo fulgore coruscantem, sed absconditam sub improuisa luce diuinitatem præteriens, Deum ipsum vindicem patiar, pyramidato in sidere, velut sub infausto comete, minitantem. Angelum enim aliàs in crinitæ stellæ apparitione proposui, qui non, vt olim, ignito ense primis patribus paradisi prohibebat ingressum, sed ad Virginem, hortum vere conclusum, ad Christum, perennis vitæ arborem, sub stellæ flammantis imagine, homines vniuersos reuocabat. Nunc verò diuinum cum Augustino spiritum, sub nouo astro delitescere arbitror, qui vt postea super Apostolorum capita, linguarum se igne diffudit, ità modò sub facundo sidere, cœli veluti lingua, mundi reparatoris exortum Sabæis Dynastis eloquitur. Sat quippè notum est, tanto amoris in-

cendio diuinum ſpiritum deflagrare, vt non modò Vicario Angelorum præſidio nos dirigat aberrantes, ſed ipſe quoque per deuia peregrinantibus ductum præbeat, inſpiret, vt aſpiremus ad cœlum, ſuſpirare nos faciat, vt tandem in pacata gloriæ ſtatione reſpiremus. Tunc verò cœleſtem animis gratiam inſpirat, cum errorum deterſa caligine, pectus humanum ſuperni luminis claritate ſerenat, oculoſque mentis ſcelerum tenebris offuſos, dignoſcendæ aperit veritati. Hoc alata illa animantia, per immenſa cœli ſpatia in ſimilitudinem fulguris decurrentia, ad vnguem exprimunt, ſimul enim ſpiritus impetu afflari, & innumeros oculos aperire dicuntur, quaſi cœleſtis eſſet inſpirationis officium, noua velut oculorum adiectione, cæcum alioqui animum illuſtrare. Ita cum Deus in naſcentis mundi cunabulis, tenebras ſuper abyſſi faciem extendiſſet, diuinus illicò ſpiritus aduolauit, qui lucem, ſuper obſcuram terræ planitiem explicauit, diemque à nocte lucis beneficio ſeiunxit, ne verſarentur ſemper in tenebris ſomniculoſa corda mortalium, ſed expergefacta quandoque ad cęlum inuadendum, quod enata luce viderant, aſſurgerent. Ideò à ſuo illo inceſſu nunquàm pedem referre cœleſtia animantia deſcribuntur, ſed ante faciem ſuam, nunquàm reuocato itinere, inambulare, perindè ac ſedentis in throno maieſtas ita alliceret animos intuentium, vt amore ſui non tàm illaquearet, quàm ſolueret, ſolueret ad curſum illaquearet ad reditum. Admiror ego reges Arabicos, quanta celeritate vaſtiſſimos terræ

tra-

tractus emensi, Hierosolymam tandum attigerint, non camelorum pernicissimè decurrentium auxilio, sed diuini spiritus tarda molimina nescientis impulsu. Quomodò verò, vates oculatissimè, animantia vidisti, pedes habere vituli, alas ad instar aquilarum? Quod tarditatis symbolum adoptarunt Ægyptij, tu nobis, velut miræ celeritatis portentum obtrudis? An quia succensus ardore diuino animus, per hæc debeat terrena, gradum suspendere, & aquilarum more, ad solis æterni prospectum pernicissimè conuolare? An quia erigi ad cęlos toto corpore homines, solis tellurum pedibus contingere decuit? An quia iumentis conferuntur insipientibus illi, qui mundi delicijs inhærentes, videntur serpentum more, vtero reptare per terram? Sed nemo potest salebrosum adeò tramitem inoffenso pede percurrere, seu veriùs interminum, quod inter homines extenditur, ac Deum, oceanum transmeare, nisi laxatis suspiriorum ventis velificetur. Viderat olim exul ille Domitiani Cæsaris Ioannes, cum maris litora incoleret, immensæ latitudinis pelagum cæruleo imitantem colore crystalla, cuius in medio circumfusus vehementi splendore Deus, in aureo maiestatis solio resideret. Quis oceanum procellarum parentem nesciat, cum ventorum certaminibus quàm sæpissimè tumultuetur? quis ærumnarum referre speciem, vel ipsa aquarum amaritudine ignoret? Quis in scopulorum rigiditate vitæ discrimina, in arenæ siccitate ariditatem animi non cognoscat? Interfluit igi-

tur nos inter, & Deum immensæ vastitatis oceanus, quia ad cœli portum peruenire non possumus sine ingenti copia lacrymarum. Quas non calamitates exantlarunt heroes isti sanctissimi, cum, regalium deliciarum cura posthabita, longissimo se itineri commiserunt, Regemque in alieno quæritarunt, qui reges erant in suo? Quando timore concussos existimandum est, cum sidus illud in aere præuium euanuit ex oculis, illosque magnis in tenebris, quamuis in meridiana diei claritate, dereliquit? Sed pergite, inclyti Reges, iactati estis hucusque turbida cogitationum procella, perfuret in nece multorum Herodis insania; vos sub Bethlemitico cœlo, velut puriori sub aere respirabitis. Ibi pretiosa munera, quæ defertis, infantulo elargiri poteritis, quem, velut pignus vestro auro pretiosius, in Virginis gremio reperietis. Hic ego nè sacram Magorum adorationem, & Virginis cum Regibus colloquia interturbem, tempori cedo libenter, & loco.

Dicebam.

CHRI-

CHRISTVS INNOCENS.

AD Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

Recurrunt B. P. propitio mortalibus ſidere ſtatiuæ illæ feriæ, quibus agnus aliquis, propitiando numini, feriatur in victimam. Quia verò ſine macula, candidus iubebatur antiquitus ad aram accedere, quæ purior hoſtia, quæ victima Chriſto Innocentior, orbi reparando, poterat immolari, qui innocens, impollutus, & cœlis factus excelſior, ſuæ candorem integritatis lynceis hoſtium oculis obijcit, vt de peccato arguatur? Proh ſcelus? candor erat lucis æternæ, maculam in niue rimantur: electus ex millibus, præ pulchritudine, & nouiſſimum virorum obtrudunt; ſuper quem diuinus ſpiritus manſit, malo ſpiritu iactari delatrant. Sed benè cadit, non alieno indigere patrocinio Chriſtum, cum ipſa ſibi veritas patrocinetur, quàm contendunt iniquiſſimi nebulones non tàm argumẽtis obruere, quàm

lapidibus. Este vos, qui assidetis, Patres Eminentissimi, Christi famæ recuperatores; esto sanctissime Pontifex, in hac lite dirimenda, prætor VRBANVS.

Lustrate mecum animo vniuersa vastissimo hoc ambitu comprehensa, collibratæ mentis lance eductas è nihilo res creatas, aliqua singulas labe violari, sordescere pulchritudinem ipsam, ipsam mundi munditie immundam esse reperietis. Arcuauit in gyrum primario labore summus rerum opifex cęlum, micantissimamque supremi corporis faciem sideribus illustrauit, distinxit æternis illis flammis vigilesque hominum curis posuit excubias, sed nubibus obducuntur quandoque sidera, sol ipse eclypsim, & luna deliquium patitur; mortale cęlum videtur, quia claudit oculos. Tellurem floribus picturauit, herbescere voluit amęna campos viriditate; modò expatiari in planitiem, modò in colles clementer assurgere, explicare vernantem arborum copiam; sed vitia sua satis ipsa terra testatur, dum rigescit hyeme, dehiscit æstate, deflorescit autumno, solo vere ridet, sardonio, hoc est amarulento risu, vel potius in lacrymas soluitur vitibus præ ferrea putatione lugentibus. Aquam concessit argenteis riuulis ebullire, oberrare concisam flexuosis mæandris, sed vel cęno miscetur interdum, vel stagnante alueo putrescit, fluxamque sui naturam satis ostendit, dum lapsu defluit irrequieto. Aerem in spatio terras, & aquas ambiente subtilissimè expandit, vt fureret in aquilonibus, adspiraret in fauonijs, vltrò, citròque permea-

mearet in homine; nihil tamen aere calamitosius, qui quò subtilior euadit, eò propiùs accedit ad nihil. Ignem altiores aeris tractus præteruehi iussit, vel eo saltem nomine infelicem, quòd adamantino cęlorum carcere clauditur, nec cibo vescitur, nisi rapto. Hominem è limo compaginauit, quem licèt eleganti membrorum ordine constituerit, versatili mentis acie, voluntatis arbitrio, memoriæ firmitate donauerit, ad cęlum erecto ad sidera vultu direxerit; tàm citò nihilominus suæ dignitatem naturæ polluit, vt vix è manibus creatoris euaserit, cum corruit ad scelus, eodem ferè tempore vitæ spiraculum hauriens, & conspirans flagitio capitali in auctorem vitæ; diuini nescio nè amoris, an pęnitentiæ suspirium. Angelos curiæ cęlestis aulicos, nostræ salutis custodes, auspices felicitatis prouexit in lucem, quos licèt nulla corporis figura delineet, nulla materiæ labes, nullus corruptelæ neuus aspergat, in illis tamen quàm citissimè reperit prauitatem. Nulla igitur ab omni immunis labores creata occurrebat, quæ districti iudicis indignationi leniendæ immolaretur, vt hostia? debuit nimirùm ipse Deus, humanos artus induere, inustamque à peccato notam ità relinquere, vt candorem ipse solùm assumeret, ne de peccato argueretur. Siquidem vix tenue corpusculum in Virginis vtero delitescens, felix ille animus illapsus est, cum vberrima cumulatus gratia, gloriæ quoque plenitudinem absorbuit; vnde supernaturali perfusus lumine cæcutire non poterat, vel confirmatus in donis, nutare

in progressu virtutis. Quomodò verò impingeret, qui diuinæ personæ securus innitebatur? Quas vmbras pateretur clarissimus animus, qui beati semper luminis radios excipiebat? Humi non serpit illa vitis, quæ stabili maritata trũco illum quodam fouet amplexu, quibusdam veluti brachijs illigat, lacertis obambit, sertisque coronat vuarum. Hæsitare nequit discipulus in ducendis literarum imaginibus, cuius manus à moderatore dirigitur; cuius calamo sedulus inspector insistit. Hinc meritò in sacris castissimi epithalamij paginis post parietem, per fenestras respicere fingitnr sponsus, ac prospicere per cancellos; vel iuxta receptissimam paraphrasim, super retia eminere, quòd nullo vnquam tempore Christum retia peccatorum inuoluerint, voluptatum laquei deuinxerit, solo captus fuerit amoris aucupio. Ite nunc critici pharisaicæ turbæ censores, oculatissimi Aristarchi, quærite nodum in scirpo, vmbras arguite in sole, apes de socordia sugillate; ita fiet, vt in alieno nitore vestras tenebras dignoscatis, in Christi vitæ speculo vestras maculas. Satis integritatem ille suam euicit, dum Ecipionis ad instar Asiatici vestro se supercilio submisit, vestro se liuori dijudicandum obstrinxit. Nescitis ò vos, qui iam bibliorum volumina deuorastis, in sacro codice Polyhistores omniscij, cum sole permanere Christum, & ante lunam? Explodistis hæc, quippe legistis, vna die luminaria omnia à præpotenti rerum molitore simul in cœlis fuisse defixa, ac duos veluti oculos in supremi corporis facie collocata; nec solem

prius

prius lumen impartiuisse terris, quàm lucem terris communem sibi quoque luna præriperet; solem non fuisse solum, at lunæ sodalem. Sed heu literales interpretes, planè illiteratos. Meritò occidit vobis sol iste iustitiæ, quia solem ipsum vestra litera occidit. Quasi verò cum sole nitidissimi candoris permanere nequiuerit Christus, & in bono semper lumine viuere sanctitatis, lunamque præuertere peccati symbolum, stultitiæ imaginem, nequitiæ simulachrum. Potuit olim Cyri Persarum regis tentorium tàm solerti ducis arte disponi, vt ab ostio solis radios quocumque tempore exciperet, non potuit seruatoris humanitas tabernaculum diuinitatis, cœlestis opera spiritus ità compingi, vt vel in minima temporis morula gratiæ supernæ luce non careret? Potuit nauis fenestra Noeticæ vel purissima christallo, vel radianti carbunculo conuelari, vt obscura per tristega diei claritas illuceret, & immundis intercluderetur aditus cadaueribus; non potuit Christus, arca sanctificationis, limpidissimæ puritatis anima donari, quæ plenitudinis gratiarum splendorem admitteret, sordem criminum omnem arceret? Non audistis, cum adhuc puer synagogam vestram ingressus bibliorum codicem euolueret, incidentemque in manus paginam legeret: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me? Quæ vos ad mendacia, quas ad gerras clarissimum testimonium detorquetis nugacissimi rabulæ? Ecce an in Christum diuini spiritus gratia defluxerit; ecce num delibutus fuerit oleo lætitiæ præ cæteris. Non ille Angelum cor-

poris custodem, & animi, ne ad culpæ lapidem offenderet, habuit; ipse via fuit alijs, nec aberrare poterat à semita veritatis, veritas ipsa. Primam emiserit in ortu vocem similem omnibus plorans, succumbentem humanis calamitatibus corporis temperiem induerit; imaginem carnis peccati non declinarit; sub larua tamen imbecillitatis humanæ, solidam adeò, genuinamque virtutem occuluit, vt labefactari nunquàm potuerit, aut probitatis à studio deterreri. Hinc appositè sponsi ventrem eburneum sapphiris distinctum mulierum pulcherrima commendabat, quia sicut à sordido alioquin elephanto caudidum ebor depromitur, ità à batauis multiplici crimine iufectis criminum reparator emanauit, ebore quocumque candidior. Vtinam etiam nobis singularis hæc prærogatiua contingeret, vt deriuatam à fonte lustrali munditiem nullis fęderamus sceleribus, nullis vel leuibus maculis inquinaremus, At quando id sibi deposcit labilis naturæ conditio, surgamus tandem, si callida nos aduersarius vafritie supplantat; turpe siquidem est, formosissimo capiti deformissima membra connecti, Christi asseclas in millibus posse argui, vbi ipse argui non potuit in vno.

Dicebam.

VE.

VERITAS CIVIS, & exul.

AD

Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

VEritatem, quàm Græcorum Helena pulchriorem, lumen Africæ nuncupauit Augustinus, nostris à terris exulasse dolent homines vniuersi, qui nihilominus nullam magis virtutem odere, quàm veritatem. Fortasse bilingui populo inuisam ad cœlos illam transtulit Deus, cuius etiam faciem præcedere dicitur, vel imis terræ visceribus abdidit, vt statutis de terra temporibus oriretur. Sanè Heraclitus aram veritatis in antro teterrimo collocauit, Democritus in puteo demersam esse confinxit, cum difficile admodum sit, è tenebris in lucem educere, vel in profundo delitescentem mentis indagatione piscari. En Christus ipsa veritas, & vita erutam cymmeria de caligine veritatem prouehit in publicum, omnique tegumento deuelatam Hebræorum animis objicit, vt eiurato mendacio, redderet dissemiuatæ à se fidei cultores. Miror ego, quòd cum nihil fortius desideret anima, quàm veritatem, gens ista

surdam aspidem imitata aures obstruxerit suas, & vt ostenderet corda lapidea, lapides iacere tentarit in monitorem. Tantus enim fuit semper apud antiquos amor veritatis, & cultus, vt Italicæ parens Philosophiæ Pythagoras, symbolico edicto, contra solem loqui vetuerit, quia nimirum turpe sit homini, veritatem, cuius oculos stellarum fulgorem imitari scripsit Hippocrates, obscurare velle mendacijs. Et qua de causa putandum est, Mosem, legis diuinæ præconem Israeliticis gentibus fictiles è limo statuas, educta de ligno simulachra, expressas coloribus imagines inhibuisse? Potuit Deus, hominem ad sui similitudinem efformare, vt esset velut in picturam diuinitatis, non poterit homo, imaginem suam in simulachra transferre? Erexit ipse Moses æneum in deserto serpentem, negabitur populo aliquod sibi regnum extruere? An quia procliuis ad Idolatriam Hebræorum natia, à veri Dei culto descisens, plura sibi numina compegisset? An ne vitulum aureum adoraret, quæ agnum à mundi origine occisum erat aspernatura? An potius, vt exponit Origenes, laudandas alioquin, elegantesque arctes picturam, & statuariam è sua republica eliminauit, quòd veritatem mendacijs violare videantur? Equidem Christus salebroso mortis itinere profecturus ad patrem, nihil aliud Petro postrema sui voluntate legauit, nisi vt ad vniuersum terrarum orbem conuersus, gentem electam confirmaret in fide, & incolumem ab hæreticorum erroribus defen-

fen-

fenderet veritatem. Tu, Beatissime Pater, tantæ virtutis hæres in cathedra sedes veritatis, & quam habes consimilem Petro dignitatem, in veritatis petra solidatur. Nihil æquè Petri animum perculit, quàm Ananiæ, Sapphiræque mendacium, cum quandam ex agri pretio pecuniam ad illius pedes abiecerunt, non homini, sed Deo peierantes, meritò ad solas Petri minas exanimati, quòd Apostolicæ sit maiestatis, illibatam in terris custodire veritatem. Hinc iure Athenienses reum illum pœnis omnibus eximebant, qui patratum à se crimen libera voluntate, non vi tormentorum adactus fateretur magis æquum existimantes, morti subducere veritatis assertorem, quàm scelestum extremis multare supplicijs. Quid hodie, stulti Iudæorum satellites, in Christum insurgitis, qui veritatem profert in publicum, & omnis expers flagitij de vestra vos improbitate redarguit? Verè ex patre diabolo estis, qui olim in veritate non stetit; postulabit mox à Christo Pilatus, quid sit veritas, & in pœnam hodiernæ surditatis responsum extorquere non poterit. Sed habeo, cur os nitantur obstruere veritati: pauci sunt, quorum liceat molles auriculas mordaci radere vero, pauci, quos non magis adulatio blanda titillet. Loquatur Seruatoris nostri prodromus Ioannes, cuius adeò concionibus Herodes Tetrarcha delectabatur, vt eius impulsu facundiæ multa præstaret, vbi tamen incæstam sibi libidinem obijci audisset, quasi furijs

agi-

agitatus in carcerem detrudi Baptiſtam imperauit; Ita vox illa clamantis in deſerto, in principis aula ſupprimitur, puellæque ſaltanti, varijſque ludenti elanditijs, exciſum Prophetæ caput in diſco porrigitur, quia in doloſis regum ædibus plerumque triumphat de veritate mendacium. Quis vnquam vidit viliſſimi pretium pedis fieri caput pretioſum, niſi quando caput inſanum ſupplantatur à pede? Quàm veloces fuere pedes iſti, ad effundendum Prophetæ ſanguinem, qui non niſi remiſſo gradu, ad cuipam Herodis increpandam, profiluit? Nimirum, quod docet Auguſtinus, veritatem homines non odere lucentem, oderunt autem redarguentem; cum enim veritas pluribus obuoluta figmentis, & velata mendacijs noſtras aures illabitur, proritat animum ad amorem, ſed vbi verborum denudata lenocinijs, pura, puta ſtatuitur ab oculos, excitat iram, odium inflammat, laceſſit vltionem. Conferamus, ſi lubet, Ioſephum illum veterem, recentemque Baptiſtam, vtrumque ſingulari caſtitate commendatum, vtrumque ſeruandæ pudicitiæ cauſa conicctum in vincula; cur Ioannes in tenebricoſa cuſtodia capite diminuitur, Ioſephus ereptus è carcere, ad primas Ægypti dignitates euehitur? Quidni in regali curia teneret ſumma faſtigia Ioſephus, qui ſomnia tractabat, qui obiectas ſtertentibus imagines, & vmbra veritatis exponebat? Ille Ioannes, qui ſolidam, nudamque Herodi laſciuienti aperit veritatem, qui effrena-

natam perdito regi cupiditatem obiectat, ille, ille mortis immanissimæ edicto succumbit, alienæque maculas impudicitiæ proprio cruore detergit. Repetite animo legis antiquæ Prophetas, qui veritatem splendore verborum inuoluere noluerunt, ferè omnes illata morte reperietis extinctos; Isaiam ferreo instrumento dissectum, Amonem telo transfixum, Michæam pugnis contusum, Hieremiam obrutum aquis, vnus inter cæteros Dauid, mortis violentæ discrimen effugiens, in extrema senectute decessit, quia diuinam fortè veritatem, numeris temperatam musicis, decantabat ad cytharam, illiusque amaritudinem cantus suauitate dulcabat. Solemne est probatissimos apud auctores, Angelum illum, qui toties patribus apparuit antiquis, eundem fuisse Dei filium, qui mox in plenitudine temporum, naturam in veritate carnis assumpsit humanam: cur ergo, quem vnum ex tribus, pronus in terram adorauit Abrahamus, gratissimoque domus excepit hospitio, in crucem agere satagunt posteri? quem veneratus est in lucta Iacobus, & vt sibi benediceret, exorauit, isti onerant contumelijs; quem summo coluerunt honore patres integerrimi, saxis è templo conantur explodere degeneres filij? Eleganter Chrysologus; fortasse quia figura honor, veritas putatur iniuria; cum enim Deus olim conficti corporis indumento vteretur, in sui adorationem homines facilè traxit, sed vbi veritatem ablatis vmbris exhibuit, nostræque

verum ſpolium mortalitatis adſciuit, nouercali ſtatim fuit odio petitus, verberibus dilaniatus, ligno trabali ſuffixus. Solæ terrenis in aulis triumphant vmbræ leuiſſimæ vanitates exultant, irrumpit adulatio, peſſimum veri affectus venenum, quo diminutas in terra Rex ille dolebat eſſe veritates. Sed ſi vlla vnquam in aula decuit, regnare veritatem, Romanam hanc vrbem, ſponſi domum profectò decet ſanctitudo, vt vbi ſedet oraculum veritatis, ibi deſinat eſſe mendacium.

Dicebam.

CHRI-

CHRISVS VICTIMA voluntaria.

A D Summmum Pontificem.

ORATIO HABITA.

QVod olim à profana pietate ciuibus benemerentibus persolutum accepimus; B. P., iniustum videretur, & atrox, nisi humani generis reparatori religio Christiana rependeret. Plura Romano hoc in foro vidit antiquitas, erecta Curtio equiti decora, quia redimendæ ab excidio patriæ non tam in vastum se se terræ hiatum deiecit, quàm inde prosiluit ad gloriam: Codri memoriam nullam vnquam vel efferata barbarie posteritas obliterabit, cuius è vulneribus vltronea morte susceptis, Athenarum salus purpureis alis emersit. Nostra foret æternis luenda flammis iniquitas, nisi, cum hodie illius recolatur memoria passionis, qui mortales omnes è tenebris eduxit ad lucem, non excitatis arcubus, vel simulachris erectis, sed amoris præcipui testimonio, diuinæ debitum pietati solueremus. Quòd si amor amorem prouocat, diuinam charitatem à nobis charitatem deposcere maximam, in hoc congressu contendam, cum voluntariam Chri-

stus

ſtus necem oppetere pro perdita mortalitate voluerit.

Age igitur in hortum progreditur, non quemadmodum olim ad auram poſt meridiem, vt primum parentem ad ſceleris poſtulet pœnam, ſed occidentis in vitæ veſpera, vt omnium in ſe criminum ſupplicia convertat, & ne aliquis, triſti eum pectore morti occurrere, ſuſpicetur, non priùs quàm decantato hymno procedit ad pugnam. Irrumpit illuc ſtipatus ingenti prædonum ſatellitio Iudas, innocentis domini ſanguinem auidiſſimè hauſturus, quem ne venarum è receptaculis ſicarij homines violentis armis eriperent, ipſe prius è toto corpore, per ſudorem in modum riuuli decurrentem emittit. Tunc enimuerò cucurrit Chriſtus in ſiti, cum enim inimicorum fauces agnoſceret, deſiderio cruoris ardeſcere, vt flammas illas efferatæ cupiditatis extingueret; ſua ſponte purpureum è membris omnibus humorem effudit. Petrus conſpecto ſanguine, elephantis in morem, acuitur ad prelium, eductoque fortiter gladio, militis detruncat auriculam, vt reſtituta poſtmodum aure, ſuæ poſſet miles perfidiæ eſſe teſtis auritus. Sed in vaginam, Petre, conuerte iam gladium, deſiſte ſanguinarias manus imbuere? Chriſtus ſolo tactu reſtaurat auriculam, vt fidem, quæ fit ex auditu, recuperata miles aure condiſcat. Sed hæreo hic, B. P., maioris prodigij admiratione defixus; quomodò tetigit Chriſtus auriculam, qui erat vinculis irretitus? Quomodò manus explicare poterat,

ar-

arctissimis funibus implicatas? quomodò brachium extendere, Gordiano plusquam nodo catenatum? O diuinæ prænuntium passionis vatem regium, quàm bene funes cecidisse Christo in præclaris edixisti? Voluntariè Christo fuerant illa vincula iniecta, sponte manus illos in funes immiserat nostræ reparator humanitatis, quid mirum, eodem volente, ad solidandam militis aurem, ferreæ manicæ soluerentur? Vox illius irruentes in hortum milites retrorsum agere potuit, manus sese vinculis expedire non possent? Verè manus Christi myrrham primam obducendis cicatricibus aptam distillarunt, cum recisam capiti auriculam, solo tactu, mirificè reddiderunt. Cur posteà ante præsidem tot imposturis oneratus obmutuit, nisi vt succlamatam ab omnibus mortis sententiam ipso silentio firmaret, ne crimen diluens dimitteretur à iudice, crucisque vtilitas differretur? Raptatur igitur ab Auernalibus illis furijs in atrium, multisque funibus marmoreæ verberandus ne, an contundendus columnæ vincitur; porrigit vltrò arctissimis nexibus non reluctantes manus, detonantes in tenerum corpus virgarum ictus inconcusso animo sustinet, dorsum iam liuidum ferreis catenis inarari permittit, vt vberrimum nostræ salutis colligat fructum; quinimò, vt corda hominum lapidea sibi ostendat esse charissima, repetitis amplexibus columnam ipsam adstringit. Sed heu? expeditur contextum dumis acutissimis ser-

tum,

tum, producitur nouo regi illudendo detritum purpuræ pallium, arundo vilissima pro sceptro porrigitur, conspuitur facies, cæsaries euellitur, genæ tunduntur oculi, fenestræ ille maiestatis, obuellantur, vel vt summum in nos amorem exprimeret, quia cęcus pingitur amor, vel ne immamissimum scelus siccis oculis aspicere cogeretur, vel nefferatas illas trigrides radijs oculorum ab impio facinore deterreret. Sed age, strenuissimè Rex dolorum, cum nullo tormentorum pondere delasseris, i, subi grauissimum crucis regnum, forsan, heu? qui tribus digitis terræ molem appendis, sub ligno trabali fatisces. Verùm enimuerò, qui è summo se diuinitatis fastigio deiecerat humilem transiturus in vermen, molestum nostris humeris lignum imminuit, ac leuissimum reddit. Quàm ingeniosè in manibus eius cornua describit Prophetes ille diuinus, dum lignum lethale sponte complectens, non tam ipse cruci suffigitur, quam mortem cruci configit? Sed cur, exhausto iam corpore, & arescentibus faucibus, conditum myrrha vinum noluit haurire? An vt calicem dolorum nobis quoque delibandum relinqueret? An reprobationem portendebat hebraici populi, qui vixea domini dictus, pro dulcibus vuis labruscas, & myrrham propinauit? An potius, quia vis inest myrrhæ sistendi sanguinem, refocillandi spiritus, vitæque producendæ, cum degustasset, noluit bibere, vt citiùs moreretur? Dealbare potestis beatissimæ cœlorum myriades, in huius agni

san-

sanguine, stolas vestras, quia non est iste solùm purpureus, sed etiam candidus, ad crucis enim honorem prehensandum, candidatus iste vester accessit. Purpureus est illæ cruor, quem è vena ferreus elicit mucro, sed candidus, qui naturæ operantis beneficio, vberibus conclusus eiectatur. Ecce Ephraim iste nutricius, in cruce filijs suis vbera pietatis exertat, cuius è pluuio corpore, sanguis licet rubicundus emanet, cum ferro fuerit truculenter eductus, lac nihilominus ego candidum appellauero, quia ab amore voluntariæ mortis effluxit. Inflexit prius tamen caput, vt cerneret, an aliquod superesset amplius tormenti genus, sed cum omnis vidisset finem consummationis, spiritum efflans, terram ingenti motu quassari voluit, & concuti, vt monte ipso Caluariæ contremiscente, sanguis omnis è corpore excuteretur. Quid adhuc, cruente miles, euibras lanceam, & in effosso, Christi corpore aperis nouo vulneri locum? Nulla est amplius sanguinis gutta, quæ diffluat, vel si aliquis in exsucco cadauere remanet humor, ille præ gelu temporis, & patientis nuditate glaciauit. Forsitan ardens est adeò amoris calor Christum ad mortem impellentis, vt concretum defuncto in corpore sanguinem eliquet transfundat? Video equidem sacratissimi de fonte lateris, sanguinem manare cum aqua, vt effuso cruore, siccatisque oculis, aperto cordis oculo nostra scelera lacrymetur, atque cadenti veluti gutta nostram duritiem infringat. Quid tandem

emor-

emortuo domino, ſepulchra lapidem impoſitum excutiunt, & hora pandunt hiantia, niſi vt Chriſtum è viuis ereptum, in gramio recipiant, quem Hebræorum natio adhuc viuentem excluſerat? Sanè ſi potuit amor mulieris ſuo ita ſponſo adhæreſcere, vt cum illam maritus proprio ſanguine è Cyri ſeruitute in libertatem vindicaſſet, nunquam in alium hominem conuerteret oculos; illud nos tandem agamus eruti de ſeruituti, & poteſtate tenebrarum, vt oculi noſtri dirigantur ad Dominum, quoniam ipſe de laqueo pedes noſtros euulſit.

Dicebam.

PECCATOR siliceus.

AD Summum Pontificem.

ORATIO HABITA.

HOC vnum Pharaonicæ Iudæorum perfidiæ supererat, vt magistro veritatis Christo lapides intentaret B. P. Si enim lex olim digito Dei, literis fuit deformata in lapidibus, satis ostendit iniqua perduellium natio, diuinam se legem excutere, dum lapides iacere cupit in legis auctorem. An potius, cum Christum minimè germanum scripturæ sensum expromere, sed potius adulterinum intrudere velle suspicarentur, quòd Abrahamo se faceret antiquiorem, lapidibus obruere, quæ in adulterio deprehensis pœna fuit, impijssimè cogitarunt? Ego sic arbitrior, cum vocem Domini audissent, propria corda, in modum lapidis, obdurasse, & ne diffiteri possent, se ex patre diabolo esse, qui Christum lapidibus in deserto tentauerat, lapides in eum iaculari voluisse.

Summa nefarij hominis peruicacia arietanti pectus Deo, silicea duritie resistere, voluntatemque cœlestibus ad se monitis per-

trahenti contumacissimè relectari. Admirationem omnibus inijcit, cur, Lazaro è viuis erepto, profectus ad tumulum vitæ auctor humanæ auferri lapidem iusserit, non ipse potius lapidem verbo disiecerit, sicuti defunctum è latebris illis euocauit. An non potest propellere lapidem, qui mortem potest effugare? Aditum sepulchri reserare non valet, qui postea ferreos inferni vectes, & tartari claustra diffregit? Turbatur Christus, & infremit spiritu, quasi cor illius nimio dolore frangatur; emollitum ad creatoris lacrymas saxum non scinditur? Sororum eiulatu dilinitus, ad amicum monumento educendum, accurrit, & lapidem tanti miraculi obicem amouere cunctatur? Sed facti huius rationem suscipiat ille, qui nescit, iniqui hominis imaginem graphicè in defuncto adumbratam, quem vbi vult Deus è vitiorum sepulchro ad gratiæ vitam extollere, loqui cum lapide renuit, ne videatur lapis, promptius obedire Dei voci, quàm homo peccator. Quanto enim paratiores sunt lapides vt regis æterni præceptis obtemperent, & suscitentur in filios Abrahæ, quam homo duræ ceruicis, qui solus diuinæ potest resistere voluntati? Misit olim Deus Ieroboamo Propheten, vt impium Regem, qui aureum vituli signum erexerat à cultu perfido abduceret, cum profectus in Bethel vates, relicto Rege, sermonem conuertit altaris ad lapidem, & in illum tota laterum contentione clamauit. Putabat forsitan, facilius esse altaris saxa diruere, citius-

tiuſque victimas ab aris euolaturas, quàm inflectendam impij hominis peruicaciam. Et quidem lapis ille varias diffractus eſt in ſciſſuras, hoſtiarumque cineres à ſe longiùs effudit, cum faciliùs exiſtimari debeat, lapidem conterere, quàm emollire ſceleſtum. Vnum olim ſacræ paginæ memorant Pharaonem, ſaxeo pectore cœleſtibus monitis aduerſantem; at modò, quot Pharaones, recenſere poſſemus cœlo obluctantes, & regnum Dei in iniuſtitia detinentes? Paucos legimus, hirſutum cor habuiſſe, ac pilis obſitum, quòd licet naturalium periti rerum explodant, Platonica tamen allegoria liceat exponere, qui Syrum quendam, ac ſycophantam ſeruiles in anima pilos habuiſſe commentus eſt, ob rudem bardi hominis fatuitatem; qua mentis etiam dementia, ſeu quibus cogitationum pilis obuallantur, obarmantur corda mortalium, ne diuinarum pateant inſpirationum aculeis. Sanè cor ſine oſſe in omnibus eſſe fatentur Machaònes, equis, ac bobus exemptis, in quorum naturam dum ſceleſti degenerant, iumentiſque inſipientibus comparantur, quid mirum, ſi corda habeant oſſea, & omni obſepta duritie? Germanici cor veneno infectum, dum rogo corpus eſſet illatum, redactis in cinerem membris cæteris, induruiſſe, nec à flammis potuiſſe conſumi, loquuntur hiſtoriæ; qua prorſus ratione venenatum peccato cor hominis ita conſtipatur, ac lapideſcit, vt nullo diuini amoris igne emolleſcat, aut accendatur. Quinimmò, vt ada-

mas in fornace flammæ voracitatem eludit, ita improborum animi, ardori gratiæ pectus obsidenti, magis obsistunt, quia cor suum posuerunt, vt adamantem. Reputate Ionam diuino reluctantem imperio, à facie domini profugum, extrema terræ confinia quæritantem, qui iam seipsum amiserat. Ibat ille naui fluctuante deuectus, vt vel ex eo flectilem animum indueret, quòd in omnem temerè partem iactari cerneret nauem: excipiebant ventos irruentes vela turgentia, nec leuem diuini spiritus auram immeare sinebat in pectus: sæuiebat tempestas, & iam iam disrumpi nauigium videbatur.; vates in tanto discrimine persurentem procellam, scopuli ad instar sustinebat. Attollebantur, veluti montes, immensi fluctus ad cœlum, sed posteà detumentes reciproca collisione retundebantur, vt obuersantia cœlo capita disceret, sibi præcipitium moliri, dum pertinacius assurgunt; Proijciebant nautæ grauiores in pelagum merces; negabat ipse obstinatæ saxum voluntatis deponere. Quid plura? mittuntur sortes, Ionæ funesta sortis alea contingit, fit volubilis fortunæ ludibrium; ipse suum nil miseratus infortunium, mortis calamitate non flectitur. In mare demergi postulat suæ reus, & iudex contumaciæ, per symbolum inconstantiæ puniri cupiens, qui nimium fuerat obduratus. Traditur ceto vorandus, dumque mandatum Dei putat effugere, pisci portiori committitur, vt quò obstinatiùs compos rationis homo restiterat, eò promptiùs impos rationis bellua perduceret.

ret. Nonne etiam Moses, antequam populum, qui turbas ob sitim excitauerat, acri sermone perstringeret, ad petram loqui iubetur, quia ad aquas illa exhibendas futura esset promptior, quàm ad lacrymas effundendas gens illa lapidea? Nonne Christus hodierna luce templo digreditur, illorumque se oculis eripit, quia grauiores gerere cernit lapides corde, quàm manu? Vtinam igitur à peccatoribus Deus lapideum cor auferat, & inferat carneum, seu potius corda mortalium in pretiosos transferat lapides, quibus beatæ muri Hierusalem construantur. Si enim tunsionibus, ac pressuris ieiuniorum, cineralibus hisce ferijs, cor nostrum expoliuerimus, sacris ædificijs per manum cęlestis artificijs disponemur.

(?)

Dicebam.



IN B. VIRGINIS Assumptione.

ORATIO PRIMA.

Habita Romæ in Collegio Clementino.

Anno Domini M. DC. XXIX.

NVnquam tam arduæ munus prouinciæ suscepissem, vt triumphantis gloriam Virginis oratione percurrerem (N.N.) nisi hodierna me Clementini Collegij celebritas, & obstricta aliorum imperio voluntas, duplici velut aculeo compulisset. Cum enim Assumptæ Cœlorum Reginæ Parthenia iuuentus, acceptis pro beneficijs, annua laudum tributa rependat, non potui hanc aleam euadere summi discriminis, quin in amplissima nostri Athenæi panegyri, officium commune persoluerem, vnusque pro toto sodalitio Spartam aggressus, indiserti personam gererem oratoris. Et quoniam hoc in genere, frequenter aliqui in fœdissimæ scopulum assentationis impingunt, dum byssina verba, quasi vmbilicos ad maris litora colligentes, græculi veteratores, Principum aures egregiè titillant, ac vocibus ampullatis, cubitali pygmæo colossi crepidas adaptare conantur; non errauit nostra sodalitas, dum calamistratæ pertæsa vene-

res orationis, simplicis candorem eloquentiæ delegit, vt non emendicatis personata pigmentis, sed adscititijs denudata coloribus ipsa veritas loqueretur. Adductus sum ipse officio, fide, pietate, vt onus hoc laboris, & gloriæ, quantùm sustinere vix posse confido, tum ex meo, tum ex meorum sodalium tempore mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio illa me tamen res alleuat, Auditores, quæ alijs timorem forsan inijceret, purpuratos huc Patres, ipsam Romanæ curiæ amplitudinem, Senatum sapientiæ conuenisse, loqui me cum Cynea Regum ante consessum, cum, si aliquid in exornanda Virgine fortasse deliquero, veniam indulgere, vestræ futurum sit Regiæ Maiestatis.

Nonam ferè annorum hebdomadem Virgo compleuerat; cum non tam ætate, quàm amore deficiens languorem contraxit, leuem eum quidem amanti, quia languor erat amoris, sed lethalem, quia fortis est, vt mors dilectio. Strepentes recedite aulici, compescite tumultuantes acerbo pro funere querimonias, Virgo non claudit oculos, vt moriatur; sed quia dormire cupit, claudere fenestras incepit. Accersuntur à dissitis mundi partibus primi Christianæ Reipublicæ proceres, vt quod in filio timuerant, in matre cumulatè præstarent, vt qui filium in vita reliquerant, matrem comitarentur in morte. Collocatur in horto, vbi primùm è filij corpore sanguis effluxerat, vt eo sanguine grauidata tellus non arescere in cineres eam pa-

teretur, quam terræ dominum Deus adoptarat; sed tamquam suauissimum florem paulisper in se contineret, mox ad vernantia cœli Tempe transferendum. Et sanè eam decebat horto prius inferri, quàm cœlo, vt vnde prima parens eliminata fuerat, illuc secunda restitueretur; illa, quia corruptionis labe seipsam fecisset, & homines, hæc, vt à communi corruptionis canone solueretur. Nimirum si in antiquis historiæ sacræ fastis, eodem circumamicta vestitu dimittebatur ancilla, quò primùm induta pedem in ædes intulerat; decuit sane, Virginem æterni patris ancillam ab hoc terrarum domicilio in cœlestis aulam palatij, eodem carnis humanæ spolio transmitti, quo in lucem educta processerat. Alexandriam ferro non subegit hostili, non flammis deuouit vltricibus imperator Augustus, quòd ab Alexandro Macedone à fundamentis excitata, ortum ab illo traxisset, & nomen: Arcem istam pudicitiæ, quam fundauit altissimus, ille dirueret; non potius communis iniuria calamitatis consternatam repararet? Sint mortalitatis incommodis obnoxij mortales, reuertantur in illum cinerem, ex quo fuere compacti, vna debuit Virgo, quæ vitam effuderat, à corporis dissolutione vindicari, ad formosiorem corporis elegantiam traduci. Exciderat Iericunthinam ciuitatem inuictissimus Iosue, mœnia non ferro, sed turbarum clangore complanauerat solo, vias omnes effuso compleuerat sanguine, dirutæ domus, euersa palatia, desolata fora, deuolutæ turres, senes dehiscentium
ædium

ædium attritu comminuti, iuuenes vltore gladio consumpti, plenæ cadauerum cumulis plateæ: Sola Rahabæ domus tantæ cladi superstes, & in alieno cinere, quasi phœnix rediuiua, permansit, quòd Israelitici populi exploratores abscondisset in puteo: Mariam, puteum aquarum cœlestium, diuini verbi non tam hospitam in vtero, quàm matrem, à mortis impetu quati, labefactari, in nihilum redigi Deus permisisset? Statuerat mors iniquissima, arcem istam virtutum omnium euertere, prosternere cupiebat, vt nunquam caput attolleret, Virginem; cum illius vulnere non tam cecidit, quàm surrexit, non tam exanimata, quàm animata. Repetite animo veterum annalia sacra temporum, cum è Sionis vrbe arcam illam fœderis, Leuitarum humeris, in Solymæ templum gestandam curauit Salomon; nostræ huius celebritatis pompam ad amussim adumbrasse reperietis. Licet nobilior sit nostræ solemnitas Virginis, quæ non in confluenti populi multitudine, sed curiæ cęlestis illapsu, non auratis vectibus, sed angelicis manibus, in supremum cęli templum gloriosa deuehitur, & super spirituum ordines, ipsis etiam seraphicis choris augustior infertur. Exultet iam proprijs exuta calamitatibus humana mortalitas, quæ hisce Matralibus non tam captiua mortis est appellanda, quàm in libertatem asserta, non tam victa, quàm victrix, non tam in carcerem detrusa, quàm in ipso carcere liberata; nisi tamen captiua propterea dicenda sit, quòd nouis gratia-

rum vinculis illigetur. Cedant nouis antiqua Matralia, tunc enim in auroræ templo, delecta ex millibus ancilla, Romanis à matronis circumducta vapulabat, donec innumeris malè accepta verberibus exploderetur; Ecce nunc Virgo, melioris ancillæ consilij, quæ nullo diuexata malo, sed præcinente cœlo, plaudente natura, circumfusa hominum frequentia, supernis cumulata muneribus, ad altissimi culmen honoris adoptatur. Quid ingrediatur illa in templum auroræ, quæ sicut aurora consurgit? quinimò, quid ni aurora Virgini surgenti præcurrat, quàm sol irradiat? Relinquitur viduum tam pretioso pignore sepulchrum, vt ipsum aperto ore sepulchrum, assumptæ priuilegium Virginis loqueretur: reseratur, elapso triduo, ad Thomæ aduentum, tanto felix vrna deposito, vt qui olim Christi à mortuis rediuiui gloriam sua hæsitantia firmauerat, Virginis quoque gloriam, testis non iam incredulus affirmaret. Nimirum, vbi suum viderunt Apostoli absconditum sub tellure thesaurum, inopinato euentu surreptum, coniecerunt Angelos fuisse raptores, quem ne tinea corrumperet, aut carnis humanæ corruptela violaret, thesaurizare, vt ita loquar, voluerunt in cœlo. Prodit igitur è marmore Virgo, non auratis quadrigis, aut sella curuli, vel equis deuecta spumantibus, sed argentea nube sustollitur, Angelicis intermixta manipulis, cuius pedibus luna dimidia succumbit, mutuato à Virgine splendore confidens, orbem se

posse

posse complere; vel respuens in orbem excrescere, dummodò Reginam orbis sinu curuato sustineat. Quis mihi tribuat, non desumptis ab Apelle pigmentis, sed accersitis ab oratoria facultate coloribus, ouantis Mariæ pulchritudinem adumbare? Proh quales exerit Virgo faces ab aspectu, quàm nitidos euibrat à fronte radios, quàm benè ipsam videtur claudere diuinitatem? Et benè diuinitatem claudebat, cuius corpus cœlum erat animatum, vbi inter superciliorum orbes, oculi, quasi soles emicabant, genæ dulciùs, quàm stellæ fulgebant, frons lacteo circulo, candicabat sereniùs, halitus oris, placidiùs, quàm Etesiæ, spirabat, sessitabant cœli charites vniuersæ. Non catenatos in triumphum Reges, plaustro subductos illa trahit, sed deuotos mortalium animos secum rapit; non hostes bello captiuos, aut ferreis catenis onustos, sed mortem præ inuidia ringentem, rigentem; non subactarum imagines vrbium, sed totius orbis non deuicti, sed deuincti trophæa deferre gloriatur. Conijcite hilares plausus, qui cœlesti in theatro personuere, dum, effusa in summam lætitiam beata illa curia, Reginæ aduentanti, festantibus vocibus, occurrit, regalique in solio collocandam gratulabunda suscepit. Viduatum sibi videbatum cœlum matronali præsentia, cumque terram aspiceret de Virgine tumescentem, dimidiato nolens priuilegio gaudere, postquam filium terræ de gremio rapuisset, matrem quoque è terræ visceribus eru-

tam, nobili prædatione transuexit.

Clauserant Apostoli prægraui sub marmore corpus emortuum, cumque areolis delectaretur hortorum, in horto viridanti tumularunt, sed cum fures fortasse nocturnos, futuro de euentu soliciti formidarent: repentino itinere ventitant ad sepulchrum, vbi linteamina solùm explicata conspiciunt, quibus erumpentes de amissa Virgine lacrymas detergerent; aut inflictis à dolore vulneribus mederentur. Obuius igitur ad illam excipiendam delabitur filius, & castissimos illicò ruit in amplexus, vt meritò super dilectum innixa dici posset, quæ diuino amore languebat. Et sanè si Berecyntiæ Deorum matris simulachrum è Phrygia Romam aduectum Scipio vir à senatu sanctissimus existimatus excepit; Virginem æterni sponsam parentis templum diuini spiritus, cęlestem in vrbem inferre debebat filius, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, & lucis æternæ candor assulget. Quod si Cybele Coronam gestabat capiti impositam, turrium ad instar fastigiatam, ac in pinnas assurgentem; Virginis collum turrim in epithalamio sacro sponsus appellauit, quæ ad summum vsque verticem paulatim educta, nouo diadematis genere, illius caput obducit. Vestem illa sibi præcingebat floribus vndequaque vernantem; & fulciri floribus, & stipari malis exoptabat Deipara, licet suarum odore virtutum mundum inhalarit vniuersum, & mentes hominum in odorem traxerit vnguentorum. Nos igitur quoque

in amorem tui rape, Virgo pulcherrima, de nostris triumphum age voluntatibus; vt te aeris spatia tranantem, exacto vitæ tractu, sequamur in cęlum, quàm laudatione qualicunque prosequuti hucusque sumus in terris.

Dicebam.

In Assumptione B. MARIÆ VIRGINIS.

ORATIO SECVNDA.

Habita Romæ in Collegio Clementino.

Anno Domini M. DC. XXX.

SI celeberrimos vnquàm antiquorum triumphos auidis vsurpauit oculis hæc terræ metropolis, mundi Helena, æterna ciuitas, sedendo triumphatrix, Roma vestra (Cardinales Eminentissimi, Illustrissimi Præsules, Auditores nobilissimi) hoc profectò tempore, ad ista Clementini Collegij solemnia, frequentiam nobilium conuenisse Quiritium, summoperè gaudeo, dum faustissimas illius heroinæ victorias inspiciendas oculis, suspiciendas animis, florentissimam producimus in panegy im, quę profligatis mortis improbæ viribus, cœlestis capitolium ciuitatis rediuiua conscendit. Viderunt olim sæcula martia, verè fera, verè ferrea, subactas multo sanguine acies currum præire triumphantis: at modò delusam mortem glorioso certamine contuemur: viderunt antiquitùs Imperatorem in Iouis tunica, medio sublimem in puluere, Tarpeiam in arcem equis albis inferri; modò Virginem stellato regnantem

in solio, sideribus vndique radiantem cœlestibus, ad plaudentes beatorum spirituum phalanges, iucundo spectaculo demiramur. Quàm vellem, Tullianam mihi tubam concedi, vt tantæ Virginis laureas honorifico sermone proferrem? Cur angelico non sum donatus eloquio, vt Angelorum Reginam Cœlo receptam congrua prosequar oratione? Video, in hanc aulam confluxisse Romanæ florem ciuitatis; video, in tàm nobili triumpho, purpuram minimè desiderari; video pubem istam Partheniæ iuuentutis, Virginis Assumptæ famulitio dicatam, illud à me suo iure deposcere, vt cum cœlestem Virgo ciuitatem, deuicta morte, peruaserit, fausta saltem acclamatione, pompas gratuler triumphantis. Fingite igitur, capitolium esse nostrum hoc Athenæum, currum, pensilem illam nubem, arcus, fornices istos industriè depictos, aureos titulos, hæc vario colore conscripta carmina statuas, hæc delineata coloribus simulachra, dùm ego tàm insignis ero preco victoriæ.

Hostiles morborum greges mors truculenta stipauerat, exacuerat nouercali in cœlum odio debacchantem ad omnia scelera furorē, vt Virgo illa, quæ communis ad vitæ lucem, vitam ipsam effuderat, sibi quoque tributum è viuis erepta persolueret. Iam diē nigro theta signauerat, iam conceptum virus euomere moliebatur, cum virgineos artus inopinatis aggressa conatibus, lecto repentè prostrauit, vires infregit corporis, ab hac mortalium luce subtraxit. Vidissetis virginem niueo pallore circumfusam, vidissetis purpuram illam

vul-

vultus, illabente frigore, leniter albicantem, frontem eburneo prius candore conspersam subfusca mestitia turbari, oculos, geminos cœli corporei soles, mortis proximæ tenebris paulatim offundi, tornatiles manus arescere, languere membra, tutum corpus extingui. Vidissetis, hærere tabescentes casus acerbitate senatus Apostolici proceres, affines dolore correptos intimis torqueri visceribus, turbam omnem lugentis populi tantæ Virginis interitu stupere defixam. Sed quorsum ista de morte precenseo, cum de vita potius texere deberem orationem? Cur tragicam assumo tibiam, cùm turbam oporteret inflare? Cur epicedium adorno, vbi postularetur epinicium? Scilicèt, melius tyrannide mortis exposita, Marianæ fila ducam victoriæ: quandoquidem vix communi mortis decreto Virgo succubuerat, cum reuoluto sepulchri lapide, formosior surgit è tumulo, proprijsque è cineribus reparata, veluti, phœnix, reuiuiscit. Non illa quadrigis albis, per laureatas militum cohortes, gloriosa deuehitur; sed radianti nube sublata, ad celi theatrum effertur; non populi sequitur obstrepentis multitudo, sed angelicarum comitantur agmina mentium, non senatorius occurrit ordo, sed paulò ante celo receptus excipit filius non ad portam aperiendam ciuitatis menia proturbantur; sed, reuolutis celestis atrij repagulis, diuinam vrbem in æuum regnatura peruadit. Conticeat Roma relatos de barbaris in capitolium triumphos, non loquatur Romanas aues adorantem orbem; Virgo omnium ad se corda pelliciens, celi

bea-

beatiſſima gaudijs immiſcetur. Quàm benè noſtræ victoriam imperatricis, præcurrente myſterio, Iuditha ſanctiſſima exhibuit, eum hoſtiles tranſeundo per acies, Holophernis exciſo capite, Aſſyriorum domitrix remeauit? Bethuliam Galilęæ tùm natura, tùm arte munitiſſimum oppidum truculentiſſimi hoſtes obſederant, omnem annonæ frumentariæ iam aditum intercluſerant; obuallarant caſtris, tormentis muniuerant, militibus obſepiuerant, cum virago fortiſſima, ſuæ ciuitatis egreſſa mœnibus, titillantis illecebra pulchritudinis, inſanum Holophernis caput rapiens ad amorem, enſe quoque rapuit amputatum. Et verò, quos non excitarat mors inuidia tumultus in Virginem, quas non inſidias expedierat, quibus non cogitarat vrbem illam, cuius fundamenta in ſanctis ſunt montibus collocata, conatibus arietare; cum nihilominus mortis inſidias Virgo deludens, mortem ipſi morti reſurgens irrogauit. Vulnerata quidem Virgo fuerat, ſed caritate, tela ſenſerat, ſed amoris: O non amplius, cęcum amorem, in ſauciando Virginis pectore tàm benè oculatum. Iſta ſunt iniqua profani alioquin amoris facinora, nubiles aliquando puellas à thalamo ad tumultum rapere, ab epithalamijs ad nęnias, à tædis ad faces vocare funereas; cum immodica amoris vehementia illis extinguantur flammis, quibus exarſerant, & ante mori diſcant, quàm viuere ceperint. Suſpirabat Virgo diuini ſponſi coniugium, ſuauiſſimos Chriſti deperibat amplexus, quid ni vulnera, non mortis amaræ, ſed amoris

mor-

mortiferi fuisse dicamus, qui Virginem plaga, mortali ne dicam, an vitali confecit? Ridebam antea leuium Tricas, & Apinas poetarum, dormitanti profundius amori sagittas, & arcum mortem surripuisse delirantium qui ferreis exinde, non aureis mortalium corda traijciens, contrario necem inferret euentu; sed modò non fabulas venditasse profiteor, cum amoris Virgo confossa iaculo morti succumbere compellatur. Quamquam in ipso amoris delicto mortem asserentis, triumphantem contueri liceat amorem, & in inflicto mortis vulnere vitam cernere possimus immortalem, cum amor Achillis hastam æmulatus eodem ictu vulneret, & medeatur. Nimirùm mortis illud spiculum non tàm pēnas habebat, quibus volaret ad necem, quàm vt illas impertiret ad vitam; non tàm sibilauit, vt spiritum auferret, quàm vt afferret. Palmam diceretis, quæ prægraui depressa pondere nititur in pondus, & quò magis est inclinata, resurgit magis, cum Virgo, vno ad terram deiecta congressu, validiori robore vegetior assurgat, palmam de morte præripiat. Hinc meritò sponsæ cœlestis magnitudo assimilata fuit palmæ, quia sicut ista tenuis in imo, ampliori postea corpore dilatata, frondes in cacumine virentes ad cœlum explicat, folia cultrato mucrone, lateribus in se bifidatis exacuit ramos, amœna pulchritudine fastigiatos expandit; haud aliter Virgo, à primis pauperrima cunabulis, mox pertinaci vitæ asperitate corpus obdurans, tantis virtutum ornamentis, tantis operum fructibus locupletata succreuit, vt cęlo caput inferre,

ferre, & in Elyſios beatorum campos inferi promeruerit. Exultat modò mortis deuictæ ſpolijs onuſta, quia humanæ ſpolium mortalitatis cęleſtem in vrbem inuexit; regnat hoſte glorioſa profligato, quia teterrimi caput draconis inuicto pede contriuit. Pompam eius modò perpendite, cum enim noſtris ſe Virgo ſubtraxerit oculis, longioris mihi ſubtraxit copiam orationis.

Dicebam.

Peſtis, Famis, Belli mala Virginis aſſumptæ patrocinio ſedanda.

ORATIO TERTIA.

Habita Romæ in Collegio Clementino.

Anno Domini M. DC. XXXI.

LVctuoſiſſima Italia facies, triplici calamitatum genere deformatas, non tam aſpectu deiecto, nullum in terris eſſe deplorat auxilium, quàm animis ad ſpem erectis, monet è cęlis implorandum, Eminentiſſimi Cardinales, Illuſtriſſimi Præſules, viri ornatiſſimi. Iactati ſimus hucuſque turbida malorum tempeſtate, vidit Inſubria putreſcentia morbo peſtilenti cadauera, facto veluti naufragio, in triuijs exponi: ſenſit, in extrema rerum omnium inopia, ad vltimum ſe diſcrimen impelli. Vtinam nobis in hoc fluctu periclitantibus, aliquod ſidus affulgeat, deſeuientemque in tanta calamitate procellam, propitio ſplendore diſcutiat. En ſol illuxit in Virgine, ſeu Virgo potiùs è tumuli occaſu ad vitæ proceſſit orientem, vt ſuum in ſole tabernaculum collocet, ſalubreſque cęleſtium munerum deriuationes in hæc terrena tranſ-

fun-

fundat. Latrauit ſol iam ſatis in Syrio, ac lethali orbem morſu petiuit tellurem radijs vrentibus, leonina veluti cauda, flagellauit, ferire neſciet in poſterum in Virgine collocatus. Habet illa ſub pedibus lunam, Deam olim ſub Dianæ vocabulo, ferarum debellatricem, ſagittis armatam, vt omni nos exuti formidine periculum euaſiſſe confidamus. Age igitur, noſtræ videamus argumeuta ſecuritatis, triplici de malo in vna Virgine constituta.

Feruebat Italia hoſtilium quaſſata bellorum tumultibus; intulerat Aquila frigidis alioquin de regionibus fulmina quibus orbem totum non terreret modò, ſed teneret; timebatur Italiæ incendium, quòd in frigidiſſimæ hyemis gelu, mortalium mentes arderet, ac pro fluminibus aeris aſperitate glaciatis, flumina ſanguinis exundarent. Cum ecce, dum cęlum ſolaribus igneſcit radijs, & terra caloribus æſtuat, frigeſcit vltricis flamma iracundiæ, ebullientis belli ardor extinguitur, dum aſtra minitantur exitium, homines tranquilla in pace firmantur. Vnde inopinati fęderis nuntius noſtras ad aures aduolauit? Vnde amor iſte coniuratos inter ſe reges caritatis face concilians? Vnde gladius ille, quem in hoſtem diſtrinxerat hoſtis infeſtus, non paratus ad cædem, ſed cuſtos factus eſt ad ſalutem? An quia Virgo beatiſſima, quæ pulchræ dilectionis eſt mater, ad cœlos transferenda per mortem, ſuæ mundum caritatis dereliquit hæredem? An quia bellum debacchari diutiùs non

pote-

poterat, euecta cęlestes ad thelamos Virgine, quæ requiem in omnibus exquisiuit? An potius terreni exercitus agmina timuere cęlestia, cum enim ad sublime cęli capitolium, terribilis, vt castrorum acies, Virgo conscenderet, quidni arma proijcerent terrenæ legiones, vbi cernerent aereis in campis, cęlesti militia Virginem circumseptam? Habet suam quoque Christiana Respublica armatam Palladem, non commentitiam Iouis sobolem, sed æterni filiam parentis, quæ non alliciat, sed deterreat à prælio, non hasta, sed sceptro. Exultet Italia stabili, tandem in pace composita, vt quæ prius exterarum iugo gentium miserrimè subiecta languebat, modò reddita sibi est, & quæ prius intestinis diuexata malis, varias dilaniabatur in partes, modò incolumis, obducta cicatrice, corpus in integrum coalescit. Et quidem, cur homines ad bellum effrenes hostile classicum canerent, cum Angelorum ordines ascendenti maritales ad nuptias Virgini epithalamium decantent? Quid ni filij, disiectis ex animo nouercalibus odijs, in pacis fędera conspirarent, si mater sponsi carissimi ruit in amplexus. Cur infesta non caderent hostium munimenta, si æternum in templum, angelicis manibus, arca Dei viuentis animata defertur? Quid ni turbidam bellorum caliginem videremus ex Italiæ cęlo discussam, si diuturnam securæ quietis serenitatem Virgo, nitida velut aurora, portendit?

Quod si pax Cererem nutrit, & è pace di-

dimanat vbertas, aurea mihi redire videntur, ac verè saturnia sæcula, cum rerum copiam omnium polliceatur fęcunda virginitas. Nunc enimuerò spicam Virginis arua copiosis messibus grauidantem enunciare possumus in cęlo splendescere, cum tellus propitio sidere collustrata, fruges vberrimas germinarit. Facessant hinc infausta sterilitatis omnia; facessat quicquid hariolatur nescia fatidicorum insania, Virgo Dei nutrix, Amalthæa felicior, cornu munerum omnium in terras effudit, nosque supernarum copia diuitiarum cumulatè beauit. Gaude Roma, desine Africam, Sardiniam, Siciliam, tria Romani populi frumentaria subsidia nuncupare, pretiosior tibi seges defertur à Virgine; nauis illa est, quæ de longe, nempè de cęlestibus horreis, triticum electorum, diuini spiritus adspirante fauonio, ad hæc mundi litora fortunatissimè exonerauit. Quàm lepidè ventrem illius, velut aceruum tritici, lilijs obuallatum albentibus, in epithalamio sacro sponsus appellauit, perindè ac Virginem doceat, ex vteri Virginalis agro, non tàm intemerata fęcunditate Deum parere, quàm copiosam diuino fętu conferre mortalibus vbertatem.

Iam verò grassetur alicubi pestilentia, orbemque ciuibus exhaustum, orbum iam veneno tabifico reddat, vt illa properato funere detrudet homines ad sepulchrum, ita Virgo è tumulo prodiens, maturato auxilio, reuocabit ad vitam. Inerrauit pestis hucusque, velut Ate perniciosissima, Italicis regio-

regionibus, noxijsque homines morbis lethaliter implacuit; primam rediiſſe diceres infantis mundi conditionem, cum terra inanis erat, ac vacua; adeò ſuam mors iniquiſſima, congeſtis cadauerum cumulis, ſaginare nequibat ingluuiem. Vna erat in terris non Litarum è numero claudicante, ſed in mulierum cętu, beatiſſima; hanc Deus à morte rediuiuam ad cęli ſpatia voluit efferre, vt Atem per tractus aereos morborum ſatellitio ſtipatam, impunemque baccantem, ſui aſſumptione diſcuteret, profligaret. Quod ſi delapſum è cęlo Palladium, tutelaris quaſi arrha diuinitatis, Troianam ab omni diſcrimine ciuitatem vindicabat; quid ni ſublatum ad ſidera Virginis corpus, noſtræ velut pignus mortalitatis, duraturam orbi ſecuritatem exorabit? Euehitur illa, toto circumſpectante Apoſtolorum ſenatu, natura plaudente, cęlo hilariùs coruſcante, ſpiritualibus beatarum mentium copijs circumfuſa, de triplici hoſte relatura triumphum; de fame, quia delicijs affluit; de bello dum pacificos inter choros exultat; de peſte, dum victrix ſurgit à funere. Iacuit illa quidem in ſepulchro, quod modò commutatur in trophæum, decubuit in horto, ſed germinauit ad gloriam; clauſit oculos, non vt cederet letho, ſed vt accubaret in lecto; tumulata eſt in marmore, ſed ipſa marmora, vt in filij morte, ad pietatem emollita, excuſſo lapide, mortuam effuderunt ad vitam. Cæterùm ſi olim delubrum Iunoni ſoſpitæ religioſa nimium excitauit antiquitas, quòd in graui peſtilen-

tiæ

tiæ tempore morti ciues exemiſſet; Virgini, quę Romanam hanc vrbem ab omni calamitatum ſubduxit incommodo, quæ deuoueri poterunt templa, quæ hoſtiæ poterūt immolari? Non ego poſtulo marmorea, quę temporum iniuria deterantur, non oblatas de vitulorum ſanguine victimas. Delectant ſummos viſcera ſola Deos.

Dicebam.

De hæresi Virginis assumptæ patrocinio profliganda.

ORATIO QVARTA.

Habita Romæ in Collegio Clementino.

Anno Domini M. DC. XXXII.

TAndèm aliquandò Christiana Respublica, quę perfurentium inter procellas hæresim ingenti periculo fluctuauit, sedata tempestate, disiectoque turbine detonantium calamitatum, respicit Cynosuram suam, hoc est, Virginem ad cœlos euectam, Eminentissimi Principes, Illustrissimi Præsules viri clarissimi. Exundauit hucusque Germania, non aquarum cataclysmo, sed sanguinis, quia ventus à latere septemtrionali consurgens non perflauit solùm tumido spiritu, sed penè Romani sedem imperij, nefaria conspiratione concussit. Glaciatum Suediæ pelagus, iniustæ flammis iracundiæ liquescens, ac magno æstu iactatum ebulliit, efferatamque barbarorum colluuiē, è turbolenta illa regione, contra Romanam fidem effudit. Extremam cladem nostra formidabat Italia, cum nouusne Lucifer, an tenebrionum Princeps in Aquilone solium exaltarit, transmissoque in finitimas oras

dra-

dranonum exercitu, orbem vniuersum lethali veneno contenderit inhalare. Sed prospere rebus accidet nostris, quia Virgo, quæ cunctas hæreses sola interemit, draconis etiam caput triumphali conteret assumptione, armatasque perditorum copias, terribilis, vt castrorum acies, profligabit. Excurramus igitur hodierna panegyri, quantum sit in Virgine aduersus perduelles auxilium, subigendamque speremur hoc anno hæreticam à Dei parente prauitatem.

Insigne fuit illud ostentum, quod relegatus olim à Domitiano vates, aquilino planè oculo, inspexit, mulierem in cœli spatio fulgentem, sole circumamictam, redimitam sideribus, substrata pedibus luna; diuinam fœminæ pulchritudinem satis abundè testatus, dum quæ sparsa erant in cęlis, in ea collocauit vniuersa, ne iam negare posset philosophia, cœlum aliquod esse animatum. Inhiabat in mulierem ore audissimo serpens antiquus, septem capitum draco, qui sinuosas collectus in spiras, voracibus illam faucibus deglutire cupiebat, nisi acceptis in altum pennis euolasset. Quòd si sub inuolucro prodigij, arcani plurimum delitescit, quid nobis spectra ista portendunt, nisi delabentium temporum calamitates, auspice Virgine, superatas? Emersit ex vltimis terræ partibus immanissimus catholicæ religionis euersor, qui tractu longissimi oceani emenso, ad proterendum Romani imperij fastigium, non ferro solùm milites expediuit, sed nouercali odio Scythicos etiam dracones armauit. Quanquàm dracones ne dixerim, an viperi-

nos partus conſpirantes in matrem, dùm vterum parentis Eccleſię innumeris diſtracti opinionibus lacerant, nec minus armis, quàm ſententiarum varietate proſcindunt? Repetitum videmus iniquiori conſilio Punici ducis inuentum, qui pugnaturo ſuaſit Antiocho, vt in hoſtium claſſem, viperas plures inijceret, quarum metu deterriti milites à dimicatione deſiſterent; cum noſtro quoque ſæculo viperarum genimine è Caluini luto, è Lutheri ſordidus prodierint, atque è frigidiſſima cœli plaga dracones eruperint, qui flammas alienis regionibus inferentes, orbem catholicum luctuoſo incendio vaſtarunt. Sed inter tot hoſtium, bellique diſcrimina, ſolemni geſtire poſſumus gaudio, quia mulieri datæ ſunt alæ, hoc eſt, Virgo beatarum mentium agmine circumuallata, ſublimis ad cœlos euehitur, vnde felicius, quàm olim pythonem Apollo, hæreſis hydram proteret, interimet, iugulabit. Equidem ſi dum ſignum Virginis, in obliquo cœli circulo, noſtris recurrit obtutibus, miteſcit aliquantiſper igniti rabeis leonis, caniſque Sirius non amplius latratibus orbem adurit, nec quaſi fundat ad inferos, viam, ſciſſuris innumeris terram hiulcat, ſed amœnioris ob cęli clementiam, delaſſata nimijs ardoribus natura hilareſcit, & autumnali ſoluitur vbertate; quid mirum, ſanctiori Virgine cęlo recepta, leonis inferni ſæuitia leniatur, minoreſque flammas cerberus tartareus eructet, quibus fidei humor exareſcit? Vnica prius in cœlo, reliquas inter imagines, Virgo recenſebatur Erigone, quæ manu ſtellam, & quidem vnicam efferebat, ſed modò alia Virgo luci-

lucidior astris inseritur, vtque cimmerias hæreticorum tenebras multiplici claritate discutiat, duodeno sidere coronatur. Et verò quam non illa errorum caliginem suæ splendore virtutis absumpsit, quos non perduellium ictus suæ clypeo protectionis elusit? Sileatur, Perseum scuto munitum Palladio, Medusæ caput, ense adamantino præcidisse, veriùs modò teterrimum hostem, multis draconum millibus septum, Virginalis clypeo tutelæ, fides Romana disperdet. Sileatur, quod olim, Thebanis contra Lacedæmonios pugnantibus, certissimam in spem victoriæ respondit oraculum, vt in medio scilicet ardore præliandi, Aristomenis ducis clarissimi clypeum attollerent; cum Virgine, turri Dauidica, à quam ille clypeo dependent, in cœlorum eunte sublimia, speret orbis catholicus truculentissimas prædonum turbas felici triumpho profligare. Meritò quasi palma exaltata esse dicitur Virgo, quia sicut illa folijs armatur acuminatis, & cultrato mucrone ferientibus, ita Virgo ad infringendos hæreticorum conatus, præcibus, velut gladijs instruitur, ac fortissimè communitur. Repetite, Auditores priscorum memoriam temporum, dum Cosrhoes ille Persarum Dynastes Heraclitum Cæsare solio deijcere cogitaret, nonne Virginis obsistentis auxilio deletus est; cum miræ magnitudinis grando repente suborta, Persarum copias attriuit? Repetite cum Ioannes ille Zemiscas, Bizantinorum Achilles, Bulgaros, Russosque Virgine prælium fortunante confecit, nonne deposuit illa de sede po-

tentes, nimiumque de sua virtute gloriantes elati cordis mente deiecit? Repete tuum illum ducem Roma Narsetem, qui Longobardorum sanguiue sæpius Italiam irrigauit, qui Gothos ad fluuium Anientem via Salaria cæcidit, qui Regem Cotilam plurimis tumescentem victorijs, fugam arripere compulit, qui reges alios æternæ huic vrbi tributum coegit impendere, quibus armis tot gentes immanitate barbaras, religione infestissimas, numero penè infinitas domuisset, nisi Virgo cateruas hostium, auxilij opportunitate compressisset? Delabebatur è cęlis Virago fortissima, armata veluti Pallas, disponere acies, tentoria figere, tempus certamini docebat arripere, duci robur, militi animos, terrorem hostibus immittebat. Ecce denuò Gothos, & Vandalos ad omne facinus parata barbaries effudit, quid ni speremus, singulari Virginis patrocinio, è Germaniæ finibus exturbandos? Si vnus mollissimus capillus vim habuit ad vulnerandum Deum, quidni simul omnes fulminent hæreticorum colluuiem? Si matronæ olim Romanæ è capillamento diuulso chordas arcubus texuere, quidni Virgo, coma capitis sui, telorum instar, barbarorum castra percellat? Quid enim videmus in Sunamite ista, nisi choros castrorum, cum ipso oculorum iactu, ipso vultus aspectu inimicas cœlo legiones absterreat, qualiter olim apud Pellenæos Dianæ simulachrum aduersus Ætolos illarum ita obuios quosque numinis maiestate perculit, vt in faciem procidere cogerentur? Quinimò Diana ipsa præstantior Virgo lunam habet sub pedibus,

dibus, an vt auito se regum sanguine genitam arguat, quemadmodum calceis lunam subtexere, in specimen claritudinis, antiqua Roma consueuit? An vt illibatum præseferat vitæ candorem, dum lunæ maculas innocenti pede proculcat? An potius, quia luna maris æstum commouens, hæresim exprimit, terrarum spatia miscentem, Virgoque sic hæresim conterit, vt lunam? Legistis arcam fœderis leuitarum delatam humeris Ierichuntinæ ciuitatis mœnia, clangentibus buccinis, euertisse, quæ cum prosterneret acies, murosque labefactaret hostiles, non fœderis appellari debuisset, sed arca bellorum. Nunc verò, cum angelorum manibus ad beatas cœli sedes, arca Dei viuentis animata deferatur, intueri mihi videor corruentem ex arreptæ solio tyrannidis hæresim, refugientesque in antra Scythica dracones teterrimos, nisi potius Virga ista Iessæa de radice progerminans, virgæ Aaronis æmula, serpentes nequissimos deuoret, hôc est, exitialem illorum potentiam imminuat, infringat. Hoc à te conceptis votis deposcimus, heroina inuictissima, vt Pharaones omnes contra Dei populum ita frementes, cum iniquo satellitio compescas, quæ equitatui fortissimo assimillaris, in curribus Pharaonis.

Dicebam.

DE
D. GREGORIO MAGNO
Romanæ Humoristarum Acad. Patrono.

Cum inter Humoristas adscriptus fuit auctor.

ORATIO HABITA.

Anno Domini M. DC. XXXI.

Plausibile fuit antiquis profanæ militiæ ducibus, Eminentissimi Principes, Illustrissimi Præsules, viri clarissimi, à rebus præclarè actis, & auctis, non tàm populi conspiratione delatum, quàm ingenioso gloriæ genio confictum assumere cognomentum. Hinc Alexander à rerum magnitudine Magnus; Scipio ab Africa subacta Africanus, Sylla à prospero bellorum euentu Felix, Marcius à capta Coriolorum ciuitate Coriolanus; Demetrius ab vrbium excidio Poliorcetes, Baiazetes à subitario præliandi furore Procella, Tamerlanes ab ictu vehementi Ferum, Aquila Pyrrhus, Fulmen Ptolomæus, Flagellum Attila, Dei gladius Chalebus Arabs, Georgius Epirota Scanderbegus audiuit. Sed ad sacra quoque tempora nobilis hæc consuetudo defluxit, vnde in ortho-

orthodoxa republica nomen Chrysologi Petrus, Chrysostomi Ioannes, Taumaturgi Gregorius Neocæsariensis, Theologi, Nazianzenus, Angelici Thomas, Seraphici Bonauentura compararunt. Prodeat in medium, aliorumque lucem, suarum sole virtutum, GREGORIVS ROMANVS offundat, quem sanctitate conspicuum, eruditione diuinum, laboribus emeritum, celebri agnomine MAGNVM orbis illo minor appellauit. Hunc Academiæ nostræ Patronum sapienter adoptastis, viri clarissimi, vt princeps orbis Academia, illius adolesceret auspicijs, quem ecclesiasticos inter doctores principem Synodus Toletana constituit. Solum in hoc lapsi estis, dum me vestrum inter ordinem, conspirantibus humaniter suffragijs, adsciuistis, inter HVMORISTAS aridum prorsus, & exsuccum, primamque tyroni adhuc, & candidato Spartam demandastis, scilicet, vt Gregorium Magnum in hoc Athenæo, viris maximis assidentibus, pusillus orator exornarem. Quamuis hoc etiam benè cadit; vt enim DVLCI lucubrationum AGMINE vestra in conspectum posteà REDEAT eloquentia, debebat prius in hunc locum, non obscuræ radijs beneuolentiæ, mei sermonis amarities attolli.

Præteribo igitur in tanta rerum segete protritam rhetorum legem deriuandi laudes à patria, à parentibus, ab instituto, per ordinem currendo temporum, imagines recolendo maiorum, quid matre prægnante somniarit auus, an globus igneus capiti infantis emicuerit, quo sub Chirone pro-

fecerit; non perſequar huiuſmodi Tricas, & Apinas, non vmbilicos, non analecta colligem, recurrant ad hoc aſilum, qui exulant à virtute. Suas præſeferant illi, veterum more Quiritum, lunulas, qui in talis defixere nobilitatem, cicadas aureas, more Athenienſium, innodent, auribus, qui crepitante diuitiarum bombo, ſibi tintinnire congaudent. Gregorius Romanus renuit in modico ſe magnum oſtendere, nullum, niſi palmare facinus è proprijs erutum à mecupit expromi, vt predeſtris alioquin, & humilis, ſolius argumenti magnitudine grandeſcat oratio. Video illum, Auditores, ab adoleſcentiæ longinquo, non in abecedari ? pædagogio primos literarum apices internoſcere, ſed in rhetorum puluere ſed in philoſophorum lyceis, ſed in theologorum gymnaſijs, maſculæ ſtudio virtutis incumbere, admiror æſtuantem ingenij ſitim diſciplinas omnes, vno velut hauſtu, ſorbentem, vt Gregorio veriùs, quàm olim Telemacho putandum ſit, in omnibus aggrediendis adſtitiſſe Mineruam. Video illum, patre è viuis erepto, dilapidatis in opem inopum facultatibus, ſed in Sicilia religioſum hominum excitare conclauia, vt exulantem ab orbe pietatem, velut à poſtliminio reuocaret: video ſeptimum Romæ, ad cliuum Scauri, paterno in domicilio, conſtruere, ibique ſacro ſub habitu deliteſcere, vt mundi ſubductus oculis, angelis ſpectaculum exhiberet, ac Deo. Procul à Gregorio veſtes Attalicæ, bombicinæ tunicæ, olentes Arabico mure pelliculæ,

pro-

procul à palatio belluata Babylonica, Phrygionum opera picta, splendida toreumata, onusti vasis Corinthijs abaci; parietes sola nuditate candescant, hic hospitari cupit, profligato luxu, paupertas. Quis hìc memoret indicta sibi ieiunia, quibus imbellicum alioqui corpus ita eneruauit, imminuit, vt non longam ætatem duxisse putandus sit, sed ægram valetudinem prodixisse? Quis hìc noctos insomnes in sacrorum lectione voluminum absumptas recenseat, cum non auderet somnus illius ad oculos irripere, qui vel ipso Gregorij nomine vigilabat? Vidit Romæ Anglos quosdam adolescentes, eximia venustate naturæ beneficio donatus, ad catastam in foro venales, quorum regionem cum impio Deorum cultu teneri comperisset; Ehem, quomodo, inquit, in aurea vagina gladius plumbeus reconditur? O quàm bonam domum, quàm malum hospitem? Verè Anglos, neque enim angelos, nisi hinc discat tenebrarum angelus in lucis angelum commigrare. Proficiscere, Gregori, diuisos orbe britannos vrbi Romanæ coniunge. Angliam, angulum illum orbis, cimmerijs perfidie tenebris inuolutum, diuinæ splendore fidei collustra. Christus, lapis, quem reprobarunt Iudaicæ gentes, huius in caput anguli fiat. Iupiter, commentitius ille deorum præses, qui ab insula emersit, in hac insula proteratur. Discedit Roma Gregorius in Britanniam iter arripiens, cum excitatis à populo turbis, exacto trium dierum itinere, Benedicti Pontificis imperio reuocatur, vt antequàm

in Anglia fidem erigeret, Bizantij labantem sustineret. Euthychius Archiepiscopus ille fuit, qui homines, postrema tuba clangente, non tactui manuum obnoxios è rumulis excitandos oblatrabat; sed subtiles, euanidos, fumi instar, & venti; verè de pastore lupus, qui ouium suatum carnes, cum viuas vorare non posset, deglubere mortuas, ac deglutire cupiebat, vt in solo spiritu reuiuiscerent. Istum aggressus est acri contentione Gregorius, validisque adeò rationibus ceruicosam mentem arietauit, infregit, vt Eutychius in actu vitæ postremo palidoniam cecinerit, in eademque se carne resurrecturum edixerit, quæ abire debebat in cineres; librum illius in flammas Tiberius Imperator iniecerit, vt in fumum illa dogmata verterentur, quæ mortuos, ad instar fumi, resurrecturos mentiebantur.

Sed natus communi bono Gregorius ad leuandam morbo grassante patriam reuertatur, ab oriente scilicet mortuorum, ad viuorum occasum, Romanam hanc vrbem lues quædam tabifica inuaserat, perque omnes angulos latè, & lætè serpebat, nulla tàm fœta domus quæ non relinqueretur effœta; nullus aer adeò salubris, qui cadauerosorum halitu non putresceret, nullus collis amœno adeò cęlo serenus, quo lento grado pestilentia non raperet; vastum vbique silentium, non tutæ latebræ, exitiosum auxilium, fuga inconsulta, homines, quasi laruæ cinerulenta macie palantes, labantes, stupidi, stupei; displosæ è nubibus sagittæ

gittæ populum inopinato sternebant, igneæ in cœlo acies fundendo humano sanguine rubescebant; repentina singuli cęde vastantur nec languor mortem præuenit, sed languoris moras mors festina præcurrit. In tanta cadentis populi clade quid Gregorium egisse putatis, Auditores? An iuxtà veterem Romanorum consuetudinem, clauum in Iouis, vel Mineruæ templo fixisse, vt debacchantem illic sisteret epidemiam? An more Palamedis Apollini victimas immolasse, vt noxia in orbem spicula iaculari desisteret? An Ioui cum Rhodiensibus simulachrum erexisse, ne homines in posterum, simulachra diuinitatis prosterneret? An anguem Æsculapio cum Epiduarensibus deuouisse, vt veneno desæuienti alio veneno consuleret? Exundauerat portentosa alluuione Tiberis, ipsosque vrbis muros ebullientibus aquis excesserat, deuectus fuit aquarum non flumine, sed oceano trabalis magnitudinis draco, qui cum per salsos maris turbidi fluctus innatasset, tandem suffocatus in litore putruit, luemque lethalem halitu pestilenti in hanc vrbem transmisit, quam prius draco alter Epidauro Romam aduectus, vt superstitiosa credidit antiquitas, sola præsentia discussit. Grassabatur pestis hæc infestissima, pennisque delata ventorum, omnium corpora cum ipso anhelitur permeabat; ad hanc Aten Romano cœlo depellandam, non Litas strabas, & claudas expediuit Gregorius, sed Litanias. An vt anguem hunc, sacris cantionibus, cœlestis quasi veneficus excantaret?

An

An vt pythonem immani viru pestilentem suæ telo charitatis confoderet, iugularet? Quacumque amburbialia ducebantur, pestilentia mitescebat, aer noxiam exuebat inclementiam, vita redimat in semianimes artus ad præeuntis vexillum crucis, vel quia mors vitæ lignum horresceret, vel quia Tau signo conspecto, stragem sistere percutiens angelus iuberetur. Sanè angelus, qui in mole consistit Hadriani, nudatumque gladium in vaginam reposuit, vt calamitosæ finem pestilentiæ portendebat, ita Gregorij sanctitatem minimè dubio argumento præsignabat, qui factus in iracundiæ tempore reconciliato, diuinam à populo vltionem auertere satagebat.

Tibi debet, Gregori, suam Roma incolumitatem, te suum appellat Iouem meliùs sospitatorem; quid à collata summi Pontificis dignitate refugis, quid in montium lustra contendis? Ignea columna, cœli quasi digitus, sub caua montis crepidine delitescentem ostendit. Ecce in columna ignis loquitur Dominus ad Romanos, qui in columna olim nubis loquebatur Hebræis. Columna ista veluti niloscopium, non Nili, sed tuam prænuntiat excelsitatem, in spem vberrimæ messis Ecclesiæ. Fluctuabit inter varios hæresium æstus Petri nauicula, tu stare debes, veluti filiorum Noemi columna inter procellas inconcussus. Succubuit tanto ponderi, quasi Atlas, prædecessor Pelagius, te nouum poscit Herculem Ecclesiæ cęlum, Hercule maiorem vna te solum columna confirmat. Deferre Romam,

mani, Auditores, Gregorium oportuit, non enim ſponte venire poterat, quem animi demiſſio retrahebat, ignorans, à ſe ipſo ſe creari Pontificem, dum hominum geſtari ſe humeris patiebatur. Conſtitutum in hoc apice Gregorium qualem vobis obijciam, Auditores? Equidem ſi miſericordia æquè, ac iuſtitia ſolium ſtabilitur, reputate, Gregorium egenis, ac derelictis opes Eccleſiæ, profluſa liberalitate, diſperſiſſe, vt verè cum Laurentio poſſet theſauros, non in ſcrinijs, ſed in pauperibus indigitare. Suos habeat Perſia longam ob manum Longimanos; efferat ſuos Grecia Cimones in publicum, collatis omnibus, verè Publicolas; prædicet Germania ſuos Henricos non militum agmine, ſed pupillorum ſtipatos examine; Gregorium Roma producet communem omnibus Mercurium, à quo plures haberent, quod ſatis acciperent, nunquam ille, quod ſatis daret. Sed nouum auditores, accipite Gregorianæ pietatis inuentum: vt innumeris quotidie pauperibus certa largitione ſuccurreret, plures in vrbe curſores inſtituit, qui conditas ægrotantibus dapes, citato curſu, deferrent. Tunc enim verò diuinus Gregorij amor alas habebat, quibus ad erigendam è puluere calamitoſorum inopiam volitaret. Iam charitas illius non ſerpebat, vt ignis, ſed quaſi fluuius igneus, rapiduſque ad conferendam pauperibus opem ferebatur. Vidit olim in equo pallido mortem equitare Ioannes; vitam in curſoribus vndequaque diſcurrere Roma conſpexit. Columbas

anti-

antiquitus epistolis Mutinam defenderis ad Brutum Hircius adhibuit: hirundines victoriæ nuntias Cæcina Volaterranus excepit, cornicem habuit vice tabellarij Marthes Ægyptius; nuntijs alas pennatas imposuit, ventorumque nominibus appellauit Ælius Verus; Cyrus per interualla locorum tabellarios ita dispofuit, vt fatigatis recentes, & nocturni diurnis fuccederent; Gregorius alendis quotidiano subsidio pauperibus cibarios cursores inuexit. Inuidere angeli, si angelicum pectus mordere potest inuidia, Gregorianis epulis, ac humano habitu personati inopis induere sarcinulas, & quamuis peccare non possint, cum in veritate constiterint, ementiti sæpissimè aspectus amauere mendacium. Tæduit Christum suæ, liceat hoc dicere, magnitudinis, & licet ipsam non deseruerit, adscititiam nihilominus arripuit mendicitatem, vt denuò qui diues fuerat, pauper non pro nobis, sed pro se ipso fieret, stipemque à Gregorio referret? qui thesauros habebat diuinitatis. Sileatur, apud Æthiopas Iouem deorum corona circumseptum singulari comitate celebrasse conuiuium; Iouis illi cerebrum, vt cum Pausania loquar, pro cibo geniali comederunt: Gregorij mensis proh quoties pro Ioue poetarum Christus assedit, suoque in corpore dignatus est ali, qui toties in alieno pascebatur?

Verùm Gregoriana pietas non Romæ se continuit, breuibus circumscripta cancellis, sed, quod olim de Romana virtute iacta-

ba-

batur, disperſit cum ſole manus, dum immenſa miſericordis animi latitudine egentes vbique locorum leuauit inopia, mœrentes animo recreauit, diſſidentes ſolicito ſtudio compoſuit, factus omnibus omnia; vt perditos homines, & ad ſcelera proiectos vel fuſo ſanguine lucraretur. Excitabant in Africa Donaſtia turbas ſæuiſſimas, ſemelque lapſos ad ſacram exhomologeſim recipiendos eſſe renuebant? Cerberos iſtos compreſſit Gregorius. Contendebant Arriani in Hiſpania ab æterni Patris ſubſtantia filium ſeiungere, & è ſolio diuinitatis exturbatum in creatarum rerum ordinem detrudere? Semiatheos iſtos coercuit Gregorius. Permiſcebant Alexandriam Agnoitæ poſtremi diem iudicij Chriſtum ignorare peierantes, monſtra ferocitate formidoloſa, veneno peſtifera, numero infinita? E ſuo gurguſtio eliminauit Gregorius. Quis in Anglia deorum aras euertit, idola protriuit, fana profana ſuccendit, Iouem cum ſuo ſemiuiro comitatu exulare iuſſit? Gregorius verè à Beda presbytero Angliæ vocatus Apoſtolus, Quis Ioannis Patriarchæ Bizantini Oecumenicum ſeſe Epiſcopum venditantis audaciam infregit, retudit impudentiam? Gregorius. Quis Mauritium Cæſarem à profana militia ad ſacram, à galea ad cucullum, à caſtris ad clauſtra tranſire milites reluctantem à ſententia deterruit? Gregorius. Nimirum quid formidaret ad reges, & præſides loqui, cui ſanctus dabat ſpiritus eloqui? Quidni ad altiſſimam ſcribendi methodum euolaſſet, qui pennas habebat

co-

columbæ? Quidni ſuper virum miſericordem conquieſceret ales, qui ſuper oleam, miſericordiæ ſimbolum iam ante conſederat? Columba illa, quæ decreſcentium nuntia fuerat aquarum, in Gregorio diluuium portendebat eloquentiæ. Aduentabat illa ad Gregorium, non arcæ Noeticæ, ſed nauis Apoſtolicæ trierarchum, vt alite hac felicitatis auſpice, dici poſſet cœleſtem portum bonis auibus appuliſſe. Quis mihi obijciat Demoſthenem torrenti ſimilem, melleo flumini Neſtorem, igneo fulmini Periclem, Rhodano Hilarium, Catadupis Chryſoſtomum, Gregorius angelo comparatur, quòd eloquentiæ tuba claſſicum caneret, & rerum contemplatione cœleſtium abſorberetur. Mellificarint apes in ore Platonis, in ore Steſicori luſcinia cecinerit, in labijs Periclis Pito ſeſſitarit; dictus fuerit latina Siren Valerius, Suadæ medulla Cethegus, Rex fori Hortenſius, Philomela ſophiſtarum Pruſæus, Apis Attica Zenophon, aurea Luſcinia Baſilius, Meliphthongos Ælianus; Gregorium pro aureo dialogorum opere, glorioſo Dialogi cognomento fuiſſe nuncupatum confirmat ex Gennadio Baronius. Loquuntur auream dicendi copiam luculentiſſima, quæ ad ſeros nepotes moralia tranſmiſit; loquuntur epiſtolæ varios ad orbis principes exaratæ, plenæ ſucco, & ſanguine; loquuntur eruditiſſimi in ſacros codices commentarij; loquitur infeliciſſima illius ſæculi conditio, cum enim obſeſſa toties à barbaris, ac diruta Roma, barbariſmis repleta latinitas, & ſoloe-

lœcismorum obducta carie obsoluisset, miraculo adscribit Baronius, Gregorium inter tot tenebras aliquo illucescere potuisse fulgore. Sed quid ego Gregorianæ claritati caliginem offundo tenebricosus orator? Illuxit ille iam inde ab initio, cum in scientijs capessendis radios exeruerit ingenij, prætulit faces, cum in Angliam fidei vexillifer iter celerrimum expediuit; flammas ostendit charitatis, cum inter mortuorum cineres, cœlesti interius igne flagrauit. Vidisti olim Roma columnam Gregorij latebras irradiantem; sensisti fulmina eloquentiæ animum percellentia, columbam illius, in his pestilentiæ calamitatibus, potes sibi conciliare propitiam, nam epidemiæ tempore nihil aliud antiquitus æquè regibus proderat, ac columba.

Dicebam.

DE

DE SANCTO IVONE pauperum Aduocato.

PANEGYRICVS.

Dictus Romæ, Anno Domini M. DC. XXVIII.

IN tandem recurrente celebritatis annuæ tempore faustissima illius Iuonis natalia repetimus, qui Gallicani rex olim fori, patronorum alpha ciuilium, inopum singularis assertor, humanis solutus à curis, cælestis curiæ templa peruasit. Deberem antè integerrimos Quiritium Areopagitas, in tam honorifica panegyri locuturus, de Atheniensium canone, comparatum ad aures demulcendas eliminare proloquium: deberem apud publicæ vindices æquitatis, omnes ad aucupandos animos ablegare veneres orationis: nihilominùs, quia in eo genere non versamur, vt Catoniano supercilio debeant iudices alicuius flagitium expendere: sed in quo de præclaris sanctissimi viri facinoribus lætabunda triumphet oratio, & clariori veluti in speculo imaginem suam optimus quisque contueatur; nullus me acriori sermone perstringet, quòd in ipso orationis vestibulo mentes excitare contendam auditorum. Licet officium istud venandæ beneuolentiæ,

non

non ſit opus impendere, cum iam videam, quàm libenter in laudes Iuonis attentio veſtra conſpiret, adſpiret humanitas indiſerti vocibus oratoris; vt potiùs vereri non leuiter debeam, ne, dum in clariſſima iudicum frequentia, de iudicis optimi virtutibus ſum dicturus, neſcius, quid valeant humeri, malè videar de meis viribus iudicaſſe. Et ſanè tam eximia ſunt, quæ de Iuone transmiſſa nepotibus facinora prædicantur, vt animum ſingula meum æquè rapiant, æquè abſorbeant orationem, nec in tanta rerum ſegete aliquod decerpere facilè valeam, quod colligam in faſciculum laudationis; neque poſſit laudatio tam vberem ſegetis copiam, anguſto temporis circulo, colligare. Verùm cum inter omnes virtutes Iuonis principem ſibi locum vendicet pietas, illud ego breuiſſima commendatione contendam, in vniuerſis Iuonis operibus plurimùm emicuiſſe pietatem, ac in illis proprio quaſi titulo triumphaſſe.

Quo loci non ego vetuſta Iuonis ſtemmata recolam, non per antiqua familiæ monumenta refodiam; prætendant fumoſas, ne dum fámoſas auorum imagines, obtrudant ſtantes in curribus Æmilianos, qui proprium in caput enituntur gentilitium deriuare ſplendorem. Iuo genus, & proauos, & quæ non ipſe poſteris monumenta conſignauit, vix ſibi reputat; benè prolixam maiorum geneſim ſuo vix agnoſcit in ſtipite; illa ſibi vendicat acroamata, quæ vt illum ſuper aleam hominum euehunt, ita maiorem quocumque homine facundiam de-

po-

poſcunt. Oriatur igitur clariſſimis Iuo natalibus, glorioſæ præferat radios nobilitatis; pietas in ſanguinis amplitudine palmam referre laborabit, dum voces feſtiuè perſonantes, dum flammas oculos in tenebris perſtringentes demittet è cœlis: hauſerit Iuo è nutricis vberibus procliuem ad bonum indolem: pietas blandiſſimo fouebit in ſinu, ad templa perducet, ſuggeret preces, Dei cultum excitabit. Ad altiores diſciplinas internis igniculis Iuonis rapiatur ingenium, pietas Lutetiam, illas Gallorum Athenas alliciet; Aureliam, illam ſcientiarum palæſtram impellet, vt iuri Pontificio ſedulam impendat operam, vt ſacræ theologiæ ſpatia gymnaſtico in puluere ſtrenuus percurrat. Et benè conſtitit, quàm celebrem de ſcientijs omnibus pietas triumphum reuexerit, cum theoricas omnes practicis deſeruire coehit Iuo virtutibus, cum non ſe ſtuduiſſe, vt ſciret ſalutem, ſed ſciuiſſet, vt ſtuderet ſaluti clariſſimè patefecit. Iam multus de Iuonis doctrina ſermo percrebuerat; iam quantùm polleret ingenio, aures vniuſcuiuſque peruaſerat; cum in Rhedonenſi primùm ditione, mox in Trecorenſi ciuitate Eccleſiaſticum cooptatur in iudicem, in florentiſſima ciuitate iuſtitiam adminiſtraturus, qui ſedatis animi perturbationibus iuſtum ſe anteà præſtitiſſet. Prouocent ſe ad meſſem auream auidiſſimi curiæ harpagones, duo togati vultures, duo accipitres pecuniæ Stratocles, & Dromoclides: tyrannidem exerceat in Neroniani iudicis pectore vitiorum illa metropolis, il-
lud

lud improbitatis elementum, auarities: pietas Iuonis regnabit in animo, dum illius trutinam æquitatis non inflectere munera, non auri pondera deprimere poterunt. Sint donaria tinea regiminis, Mercurij virga, placenta infernalis, bos in lingua forensium, quibus seueriora iudicum pectora sępè numero eneruantur, demulcentur, conciliantur, detinentur: sit aurum in litibus arbiter, in affectibus tyrannus, in deliniendo sirenula; Tulliani tuba raucescat eloquij, vbi pecunia loquitur; Hectoreæ militiæ fulgura compescantur, vbi nummus decertat, virtus frangantur Herculea, vbi hastis pugnatur argenteis; non poterunt hæ commotiones Iuonis animum vel decutere leuiter, quin semper ad pietatem Iuo sustinendam quadratus existat. Erigat senatorum imagines Thebana respublica sine manibus, quia manus protendere ad munera, turpe sit iudici: Iuo manus habebit, non quibus accipiat, sed quibus eroget, non quibus ditescat, sed quibus ditet. Conuolabant ad eius tribunal, ad causas dirimendas, quocumque ex ordine homines, omnium Iuo momenta rationum æquali mentis lance trutinabat; & si quando aduersus aliquem, ita poscente iustitia, tulisset sententiam, liquescentibus præ mœrore visceribus, vberrimas soluebatur in lacrymas, aliorum maculas, defluente per genas imbre, tergebat, pecuniam illi, cui causam contrariam adiudicarat, è proprijs articulis reponebat. Erexisset Alphonsus Aragoniorum rex ille iustissimus, si tem-

temporibus Romani florentis imperij nasci contigisset, Ioui delubrum Prositorio; vbi prius quàm in curiam Patres conscripti descenderent, prauas animi permotiones exuerent: at si Iuonem oculis vsurpare potuisset, inuiolatum iustitiæ templum dubio procul appellasset, in quo non ira feruesceret, non indignatio ebulliret, non auaritia inchiaret, non spes iniqua sitiret, sola charitas, sola pietas assideret. Quòd si in eodem iustitiæ ergastulo fanum pietatis excitauit Romana ciuitas, iudicis quoque prouinciam Iuo sustinere pertæsus, ad causas pupillorum se contulit perorandas, vt in eodem homine sibi misericordia, & veritas obuiarent; iustitia, & pax in eodem pectore, castissimo osculo iungerentur. Proh quoties disertissimo Iuonis eloquio forensis curia personuit, quoties tonare, fulminare, permiscere animos videbatur, vt periclitantibus inopum litibus consuleret, prostratas egentium causas subleuaret? Honestiori sibi titulo vendicare posset Iuo nomen Olympij? quàm olim Pericli destinarit antiquitas, cum è suggesto, velut ab olympo; orationis fumina, rationum tonitrua torqueret, & in olympum, Dei nimirum præpotentis gloriam; laborum sagittas collimaret. Non ille, vt olim græci parens eloquij Demosthenes argentanginæ morbo laborabat; non vt Æschines in eam deflectebat studia sententiam, pro qua nummorum cumulus ingerebatur, sed qui anteà iudex æquitatem auro congesto noluit esse venalem, ita modò

dò patronus vendibilem à se facundiam proscripsit. Vidisset Iuonem egenorum vndique stipatum exercitu, quos lacera gemebundo aspectu paupertas à iudicium subsellijs plerumque solet arcere, propriam reuocare sub clientellam, in illorum patrocinium diurnas, nocturnas conferre vigilias, lucubrationes lucernam olentes ad auroram vsque producere, vt posset in foro argumentorum iacula totis laterum conatibus euibrare. Laureas dicetis istas, Auditores, omni potentis eloquentiæ, quas de expugnatis iudicium animis Iuo referret, sed triumphos ego pietatis appellabo, dum Iuonem, quasi Iuuonem recolo, dum pupillorum parentem; viduarum perfugium, pauperum Aduocatum acclamatum fuisse comperio.

Iam verò lustrate animo virtutes Iuonis vniuersas, percurrite consignata monumentis tanti hominis, egregia facinora, omnia redolere pietatem; omnia pietatem prætendere reperietis.

Exardebat crudeli domus incendio, flammas emouebant vndique fenestræ, ignem laquearia conceperant serpebat per omnem latè supellectilem ardor, iam saxa, iam parietes dissoluta compage dehiscebant, vbique fumus, vbique fletus, ruina, pernicies, interitus: Iuo deplorantium fortunas incolarum calamitate vehementer affectus, diuinas in genua prouolutus ad preces, debacchantem per tabulata semiusta flammã breuissimo temporis momento restrinxit. Quid hic efferam, aut quid non efferam? Singu-

H larem

larem in cœlesti bonitate fidem collocatam? summam Iuonianæ precis energiam? defluentes, depluentes ab oculis lacrymas, vel è longinquo tollentes incendia? supremi numinis beneficentiam ad Iuonis postulata exustionibus imperantem? sunt ista quidem magna, sunt admirandam; sed video, in tot ignibus exardere magis Iuonis pietatem; video de voracis ardoribus elementi incendium triumphasse charitatis; ita dum per aridas trabes auidissima flamma grassatur, ardentiori Iuonis æstu discutitur. Sed quæ deflagrantem pietas ignem deuicerat, parum sibi retulisse gloriæ videbatur, nisi vel effusa exundantium aquarum eluuione gloriosior appareret. Rem produco vestris auribus fortasse recentem, miraculum hac nostra tempestate non obuium, facinus, quod sicut à nouo fuit Moyse patratum, ita non muliebris numeros cantilenæ, sed masculæ pondus eloquentiæ deposcit. Non poterat Iuo, interiori flamma illius animum ad varias distrahente regiones, vnico sub cœlo consistere, sed finitima in oppida, ad gregarios, & analphabetos homines Christianæ fidei præceptis informandos, explorato salutis discrimine egressus, ad inserendum in hominum pectora diuinæ cultum maiestatis, æstuante pietate rapiebatur. Discesserat Iuo pedibus longam meditatus animo profectionem, cum ad fluuium continenti multorum dierum imbre tumefactum peruenit, vt nullo posset auxilio excedentem è ripis securè traijcere. Iam aquarum immensa copia stagnantium vndique pla-

planitiem insederat, natabant syluæ, nutabant arbores, fluitabant tritica, fluctuabant segetes, aggeres obruebantur, vnius fluenti alueo continebantur omnia, quomodò tam immanes vndas Iuo tranabis? qua cymba vorticosos turbidi fluminis euripos transmeabis? An in modum nauigij, subducto genibus pallio, & apice in velum erecto transmittens? At pallium tua nuditas non admittit. An super aquas, Petri fidem imitatus, alacri pede gradieris? At Christum exaduerso litore non intueris. An relabentem æstum, & refluentes vndas expectabis? An nimium temporis spatium malè feriatus impendes. An patrios ad lares hoc infortunio perterritus te recipies? At vlteriùs populorum te salus extimulat. Quid hic de Iuone sanctissimo cogitatis Auditores? quem exitum Iuonis iter consequutum esse putatis? O Iuonem, medijs in fluctibus non animo fluctuantem? Pietas, quæ de omnibus illius operibus hucusque, triumphum reuexit, erectis hinc inde vndis, sicco fecit transire vestigio. Scilicet vix summis pedibus æstuosum flumen Iuo tetigerat, quum repentè scindere sese vnda, & ab illius aufugere plantis incepit, cursuque cohibito tutam in alueo semitam complanauit. Iam sua conticeat Moyses portentosæ virgæ prodigia, insigniora posteris transmisit Iuo miracula: Moyses extraneo Dei monitu excitatus; Iuo interiori fide commotus: Moyses, vt durissimi collum subduceret iugo seruitij; Iuo, vt charitatis mancipium euaderet: Moyses

mare pacatum; Iuo fluuium placatum: Moyses, vt educeret populum, Iuo vt solus discederet; Moyses adhibita virga; Iuo solis precibus transmeauit. Iam non glorietur Moyses veluti clarior, quòd frequentia cum Deo præpotenti colloquia miscuerit, & micantissimos cornuit splendoris radios ab illius consortio mutuarit; habet etiam Iuo, quæ cum Christo consuetudinis argumenta depromat, habet, quas exerere possit faces ab aspectu. Quid cum decumbenti ad tenuem mensam Iuoni, fœdus illuuie pauper, pannis obsitius, ac fame penè confectus inopinato accessit aduentu; ac postea modico cibo recreatus è cœna repentè consurgens, diuinam exhibuit oculis faciem, radios dimittere cepit à vultu, in candida veste, admirabili incessu demigrauit? Nonne Deus ille fuit, qui effictâ corporis forma personatus in eo reperiri voluit conuiuio, vbi sobriè charitas epularetur; illis depasci ferculis, quæ pietas Iuonis sine genio genialiter obsonabat? Quid cum immaculatum agnum diuino in sacrificio immolaret, & sacram hostiam, calicemque populo recolendum sustolleret; igneus globus Iuonem admirando fulgore circumdedit, ac tantisper obsedit, donec ille deponeret? Nonne ignis ille de cœlo dimissus flammam arguebat cordis ardentem, qua totus entheus, totus igneus diuinæ amorem bonitatis deperibat? Quid cum in frequenti multitudinis accursu, niuei candoris columba Iuonis considere capiti conspecta fuit, quæ picturato priùs collo nitidissimos lucis radios emittens, posteà

toto

toto de corpore obcęcantem oculos fulgorem expandens, cœlesti planè lumine caput Iuonis irradiauit? Nonne volucris illa diuini spiritus internuntia templum amoris Iuonem præferebat, cuius in apicem conuolarat? Fuisti re vera, Iuo, salutaris æthna ietatis, quam iam inde matris ex vtero Pumulatè traxeras: euibrasti gladium æquicatis, sed erat ille flammeus ardore beneuotentiæ, contorsisti spicula eloquentiæ, sed lin scopum illa pietatis collineabas. Loquatur pietas, vel igneis linguis, cum domus incendium maiori flamma restrinxeris, loquatur ad vocem aquarum, cum illas in geminas hinc inde partes dissecueris, loquatur Patris hospitem, Filij conuiuam, sancti Spiritus templum; satis ego de tuæ pietatis triumpho loquutus, Pharium versus in Harpocratem conticesco.

Dicebam.

B. PHILIPPI BENITII Florentini Ord. Seruorum B. M. V.

ENCOMIVM.

Habitum Romæ in Collegio Diui Marcelli.

DIuinam ſapientiam ſacræ perhibent literæ, cum excelſum ſibi domicilium ſtatuiſſet erigere, ſeptem è puriſſimo lapide columnas, quas ſuper immenſa moles ædificij conſurgeret, excidiſſe, paruulumque innocua ſimplicitate ſuauiſſimum, vt ſecum in atrio verſaretur, aduocaſſe. Videntur, Auditores, meis hic oculis obijci ſanctiſſimæ religionis natalia, cùm Virgo deipara ſapientiæ cœleſtis mater ſimul, ac filia, æternum in terris atrium excitare ſibi cupiens, ſeptenos è florentiſſima vrbe Florentia patritios exuedit, ac planè diuulſit à patriæ ſolo, vt inclytum ſeruorum ſuorum ordinem, firmiſſimæ veluti columnæ ſuſtinerent. Niſi potiùs montem illa Senarium elegit, qui ſeptem inter alios ſublimi vertice attollitur, ibique ſecuram religioſæ familiæ ſtationem inſtruxit, vbi felicius, quàm olim in Prytanæo, viri plures ſuo inſigniti nomine, rebus diuinis addicti verſarentur. Se quis vnquam fuit ille paruulus, ſapientiſſima adopta-

ptatus à Virgine, nisi Philippus Benitius, ille Christianæ splendor reipublicæ, illud Florentiæ candidissimum lilium, illa terrarum orbis lampas clarissima, cui Virgo eadem, eximio splendore circumfusa, copijsque stipata cœlestibus, aurato deuecta curru, conspiciendam se præbuit, ac diuina voluptate perfusum ad iam iam crebescentis institutum sodalitatis animauit? Paruulum appellaui ego Philippum, non propter obscuri generis tenuitatem, quod in eo maximè enituit, auorum gestis illustre, non ob virtutum inopiam, quibus fuit cumulatissimè locupletatus, sed quia cum meritorum magnitudine ceteris emineret, toto vitæ curriculo sibi paruus apparuit. Huius ego laudes dum breui orationis periodo circumscribere incipio, extendite vos prolixam, vt soletis, ad audiendum humanitatem. Neque verò in tam vberi rerum dicendarum campo, vellem ego minima quæque decerpere, sed maiores virtutum apices delibare; at mirabilis adeò fuit in omnibus suæ vitæ partibus Philippus, vt si singula recensere molestum fuerit, sit etiam præterire vitiosum. Vix enim parenti vterus intumescere cepit, cum sibi visa est in somnijs nocte concubia, facem maternis è claustris emittere, quæ radios vndequaque fulgentes eiaculans orbem incenderet vniuersum. Sileatur, quod olim Cæsaris pater Cæsar in quiete somniauit, Aureliam coniugem intimis solem concepisse visceribus; sol enim infaustus extitit gloriosus alioquin ille di-

ctator, qui cum orbem Romanæ luce virtutis impleſſet, apparuit tandem in occaſu vitæ ſanguineus. Feliciorem exitum Philippi parentibus clariſſima in tenebris ſomnia portenderunt; exeruit enim in ipſis cunabulis, in ætatis aurora puerulus eximiæ ſplendorem ſanctitatis, cum à matris abhorreas amplexibus. Nicolaum Myræ Antiſtitem æmulatus, lacte nutricis incepit ſtatis diebus abſtinere, ieiuniumque prius noſſe, quàm cibum. Decumbant alij in roſeis puluillis delicatuli populi, ſtragula ſerica depingat opere Phrygio acus induſtria, faſcias è vento textili, vel linea nebula Coamanus innectat, bullas aureas inſtruat cum crepitaculo nutrix, ſomnum adſpergat ocellulis concinnata dulcibus modulis nenia; Philippus ſatis habuit molli pro toto thalami pauimentum, pro blanditijs aſperitatem, pro crepundijs imagunculas ſacras, pro cantilenis preces diuinas. Loquor prodigium illud, cum quintum vix menſem ingreſſus, duoſque Seruorum ex ordine Patres, panem oſtiatim emendicantes intuitus, matrem, ſolutis linguæ vinculis, cum adhuc ob ætatis infantiam balbutire neſciret, clariſſimis cepit verbis, ad ſtipem Mariæ famulis corrogandam, hortari. Hæreo hic, Auditores, graui ſtupore defixus: infantem, qui paucis ab hinc menſibus oculos ad lucem aperuit, nunc homines de facie cognoſcere? qui proprium ad commodum linguam expedire non didicit, alienæ vtilitati patrocinari? qui lacte nutricis indiget inops ſui, paternas opes elargiri? qui matris nomen

ad

ad aures frequentissimè decantatum efferre nequit, Mariæ vocem articulatim enuntiare? An; sacer pupule, Atym Lydiæ regis filium æmulari voluisti, qui cum Cyri militem violentas patri manus inferre molientem aspiceret, illum abruptis linguæ repagulis ab impio flagitio deterruit; cum tu quoque futuros tibi fratres, fame consumptos ab ea pauperrimæ conditionis calamitate vindicare contenderis? Sed adolesce, Philippe, si in fascijs loqueris, quid ni adultus eloquaris? Quod flumen aliquando manabit opportunæ facundiæ, si omnium beneficio tam copiosè decurrit in fonte? Sensit Florentia, cum emenso Patauij, ac Parisijs plurium disciplinarum stadio, laureaque suscepta, distractam in partes, ac ciuilibus dilaniatam odijs patriam sibi conciliare studeres; audiuit flexanimam eloquentiam, cum hostiles lenire discordias, extinguere flammas, dirimere nodos omnes difficultatum satageres; vt audire aliquandò merueris pendentem è cruce salutis nostræ reparatorem, ad montis Senarij te latebras; recessusque sanctissimos allicientem. Agedum igitur mecum, Auditores, Philippum sequimini, qui carni nuntium remittens, ac sanguini, cœlestem ad vitam iter ingreditur, ac venerabilis viri pedibus aduolutus, ad illorum habitum admitti insolenti postulat humilitatis exemplo, qui vel obscuris præpediti natalibus, vel mechanicis tantùm idonei, vilioribus collegij ministerijs addicti, à sacris ordinibus remouentur. O in teneris annis adamantinum

pectus, & in ætate cerea animum æneum, qui tam strenuè in arena virtutum superbiæ cristas depressit, fraudes elusit, conatus infregit. Scilicet illius in ordine Virginis venerat famulari patritius, quæ cum cœli regina esset, ac terræ, humilem se nuncupauit ancillam. Nunquam se putasset religioni Seruorum adscriptum, nisi ceteris in morem mediastini deseruire cœpisset. Inuitatus illas ad nuptias, quibus animus triplici votorum fœdere maritatur, vltimo voluit loco discumbere. Reputate vos animo, quàm optaret in omnibus esse centimanus, cum vel in horto, cœli expositus inclementiæ desudaret, vel nocturno tempore longas in labore domestico curas produceret, vel panis frustula, iniecto humeris sacco, per viciniam quæritaret. Ad illa gradum facio, cum eximia sacerdotis dignitate, maiorum inauguratus imperio, sacris aris adstitit litaturus. Quo loco quid ego plura prosequar, cum angelicæ voces sermonem mihi præripiant? Vix tremenda illa verba protulerat, quibus è cœlo Christus candidum in orbem deuocatur, cum ecce, reboante, hymnis suauissimis templo, concentu dulcissimè temperato, cœlestium spirituum chorus intonuit, verendamque illa verborum triadem Sanctus, Sanctus, Sanctus alterna modulatione concinuit. Quàm vellem mihi nunc pectus esse seraphicum, vt vatis æmulator antiqui nostram conferre possem cum illius visione lætitiam? Tunc duo in cœlis angeli cecinerunt, nunc conferta angelorum acies de cœlis labitur, tunc nu-

nutarunt templi limina; nunc labat præ sonitu Ecclesia, tunc excelso Deus apparuit in solio, nunc sub velo candidissimi panis innotescit, tunc fumo tota domus inuoluta fuit, nunc templum suauissimo turis odore perfunditur, tunc pollutum se labijs prophetes indoluit, nunc Philippus illibatum Deo animum deuouere congaudet, tunc oris maculas alatus nuntius ignito carbone detersit; nunc exiguo orbiculo, charitatis ignitæ compendio immaculati hominis mundities depurgatur; tunc ad deterrendum à flagitijs populum dimissus est vnus, nunc alter barbaras ad gentes, ac mentes concionator Apostolicus allegatur. Loquatur Gallia, quæ suum pertæsa Herculem, suauiores experta est ab ore Philippi catenas prodire eloquentiæ, cum vinculis illaqueata sermonis, rapi se in amorem sensit æternæ felicitatis. Loquatur Germania, quò missus à Nicolao V. Pontifice, & sæpius expetitus à Rodulpho Cæsare, diuini verbi semen feliciùs, quàm olim Cadmus anguis occisi dentes copiosè dispergens, innumeros exurgere vidit ad cœli victoriam, Christianæ militiæ triarios. Loquatur Pannonia, Saxonia, Flandria, vbi cum linquis loqueretur omnium, multiplicem se se vertebat in Proteum; loquantur Tartari, barbari, in quorum tentoria strenuus fidei antesignanus vexillum intulit crucis. Vnum ego præterire non possum charitatis eximiæ portentum, linguæ non tam officio, quàm manus. Inaudiuerat Philippus, duas Circæa quadam in æde prostare venustulas Phrynes, adolescen-

tum Lamias, Megaricas Sphynges, ad quarum lupanar omni velut obſcœnitatis emporium ciuitas vniuerſa conflueret; cum foueam illam ſordium, ac publicarum vt cum Tertulliano loquar, libidinum conſiſtorium ingreditur; cauſam ibi pro illarum ſalute pudicitiæ patronus accuratè perſequitur, tantum pecuniæ auocandis à ſordido quæſtu mulierculis elargitur, quantum venalis pro corporis voluptate ab amaſijs exigebant. Faceſſant hinc, qui aurum ferro nocentius, malorum irritamentum, hoſtem caſtimoniæ nuncuparunt; faceſſant, qui Iouem aurea pluuia Danaes in ſinum defluxiſſe aureis ineptijs cornicantur; Philippus auro euulgati iam corporis puellas ad puritatis inſtitutum, ab omni fœditatis labe ad ſacra conclauia traducit. Philippum liceat hic mihi verius appellare Chryſologum, cum auream non tam ore facundiam, quàm auri copiam liberali manu profuderit. Veneris caſtra argenteis haſtis aggreſſus impudicitiam è ſua ſtatione deiecit. Præmiſit aurum de Philippi conſilio Macedonis Florentinus Philippus, vt ſi non poſſet aculeo linguæ, aureis ſaltem pilis arietantibus, arcem illam adamantini pectoris expugnaret. Quid cum longis itinerum laboribus exanthlaris, ad adicem illum ſupremæ in ſua religione dignitatis, ad quem egregijs ſibi meritis aditum complanauerat, nemine præter ipſum contranitente ſublatus, faſtigium illud conſtanti ſic animo declinauit, vt niſi voce de cœlo delapſa, ad Spartam illam potuerit ineundam impelli. Quid cum in Florentinæ

vrbis

Vrbis Antiſtitem vnanimi populi acclamatione vocatus, generoſa ſeſe fuga proripuit? Quid cum ad Petri ſedem impendam maiori purpuratorum Patrum ſuffragio inuitatus, vt clariſſimus veluti ſol Chriſtianæ Reipublicæ præluceret, nocturno tempore inter obſcura montis penetralia delituit, & non tàm ſibi dignitatis, quàm ambitioni innexit occaſum? Quæſo, cum facinus adeò ſit inſolens, exemplum palmare, dignitas cœlo proxima, pauliſper mecum, Auditores, animo ſiſtite, & corpore, præteritorumque refricate memoriam temporum, cum è viuis erepto ſumma omnium mœſtitia Clemente IV. Viterbium Cardinalitij ordinis ſenatores conuenerunt, vt aliquem innocentia vitæ meritiſque ſpectabilem, qui ad clauum nauis Apoſtolicæ præſideret, eligerent; cumque in varias hinc indè ſententias diſcrepanti ſuffragio diſcederent, Othobonus Cardinalis Fliſcus ingenti ſuffultus aliorum numero, Philippum, qui ad Petri ſedem omnium calculis eueheretur, expoſuit. Lætare Chriſtiana reſpublica vt quæ prius hæreſium obſeſſa viribus, & ferè oppreſſa conatibus miſerrimè iactabaris, Philippo tandem erecta Pontifice conquieſces. Lætare, Philippe, eris arbitrer mundi, oraculũ orbis, diuinæ legis interpres, eccleſiæ nauarchus paſtor catholici gregis, Chriſti vicarius. Tuos ad pedes principium purpuræ, regnum ſceptra, imperatorum diademata proſternentur, imprimet per humillimos nuntios pedibus oſcula niger Æthyops, diues Indus, immanis Tartarus: nunc producere poteris, & promouere validius adoleſcentem

Ser-

Seruorum ordinem; hæresium hydræ syluescétia capita non tàm gladio potestatis, quàm igne concionum extingues, Turcarum tyrannidem quotidiè magis ferocientem retundes; fidem ad ignotas soli vias, vitiorumque caligine consepultas, extendes. Tuum erit Romanis clauibus cœlorum ianuam recludere, illaqueatos omni scelere mortalium animos soluere, spiritales ad plenam expiationem thesauros liberali manu profundere. Quem Herculem licèt ætate prouidum tàm multæ regnandi viæ non decepissent? Quem Paridem, quamuis limatissimi ingenij hæc aurea poma ancipiti non consilio suspendissent? Honor scopulus virtutis, magnes cupiditatum; fomes affectuum, meta consiliorum, Helena tàm multarum gentium; Penelope tot procorum, quem non alliceret, titillaret? Philippus ergò inter sensus lenocinia, inter electorum suasiones constitutus, quid eliget, aut quid non eliget? Vix ad sui fauorem Cardinalium mentes voluntatis inclinatione propendere præsensit, cum repentè, è vestigio, solus, nocturno tempore, pedes, insalutatis omnibus, Viterbio digreditur, ac maturata fuga solicitus, in arcanas se montis Tuniati latebras factus de Pontifice Anachoreta detrudit. Tàm benè sciuisti, Philippe, dum in te, torrentis in morem, omnium vota confluerent, ad montium saxa perrepere? Siccine præcipuam hominis esse dignitatem autumnasti, non honoribus fungi, sed honoribus dignum existimari? Pontifex ciuitati supra montem positæ comparatur? tu Pontificium munus euitans, arduum peregrinaris

in

in montem? An nostræ te vindicem libertatis imitari delectat, qui dum ab exundante multitudine quæreretur ad regnum, in montem secessit ipse solus? Quamuis (absit verbo culpa) ipso te fateor orbis reparatore maiorem; Christus tandem deferendum à populi colluuie regnum sola recessione declinat, tu regnum triplex à summis ecclesię principibus demandatum exilio voluntario repudias. Sed quid agebas inter caucaseas illas rupes, & scrupea ferarum cubilia, nisi quòd, animo ad cœlum euocato, in altissimam rerum supernarum contemplationem rapiebaris, ni fortè cœlestis aulæ ciues, felicitati, vt ita loquar, inuidentes tuæ, ad beatissimos recessus illapsu feruenti deuolarunt. Neque ego fallor, Auditores; sæpè enim Virgo Deipara, copioso beatarum numero circumstipata, ad Philippum inuisendum aduentauit, diuinumque illius brachijs infantulum castis osculis suauiandum imposuit. Felix, & tua clarior obscuritate spelunca; inuidere tibi potest Insulæ antrum Erythrææ, vbi sol roseo claribus exortu, pluribus, vernantem coloribus iridem pingit, cum maiori Philippum claritate virtutum irradies. Cædat illa Britanniæ cauea, quæ discurrentium ab hianti vertice ventorum flabra sorbillans, imitantem musica cymbala sonitum concinnabat; cum in re quoque Philippus diuini spiritui tenui sibilo permeantis aura perflatus, Sacras Deo laudes exoluat. Cedat illa Vulcani officina, cum tuis in visceribus, ad inferendum hosti teterrimo bellum, in vndis lacrymarum fatalia magis arma temperentur. Illæ hispidæ

dæ fasciæ, quæ cruento Philippi corpusculo reuoluuntur, indicant vincula, quæ principem tenebrarum secura victoria catenabunt? ille verberum turbo, sonantiumque fragor plagarum impendentis est certaminis classicum; ille sanguis, quid disruptis, ac hiulcis depluit à membris scribendis erit prœlijs atramentum; illæ lacrymæ, quæ sinuatam nudis genibus humum interfluunt, humorem perennem suggerent illis fontibus, qui mirabilium copia aquarum ex arido saxo manantes ægritudinem omnem læsis à corporibus prodigiosè depellent. Quis mihi aquas illas in mentem reuocet, quas in vrbe Ierichuntina salubres reddidit Elisæus, quas eduxit è lapide Moyses, quas in Cherroneso de rupe Clemens Romanus elicuit? Philippus antiqua nouis præuertens miracula, non semel, sed iterum sicco de pumice ebullientis aquæ fontem euocauit, quæ varijs exceptæ per defluxum alueis, Hetruriam vniuersam omni morborum calamitate restaurant. Quoties arefactis ardente Sirio montis eiusdem cisternis, solus Philippi fons emanantem iugi fluxione riuulum custodiuit? Quoties plures dies in angusto terræ foramine, vel nullo cibo protraxit, vel exiguo panis mundi frustulo longam inediam infregit? Quoties in se crudeliter pius, supplicijs excogitatis, repentem ad cordis fibras libidinem profligauit? Sensit se quondam Philippus impuris æstuare voluptatum flammis, quæ totis gliscendo medullis, animum ad obscœnos amores incendebant, cum ecce tamdiù gelidis niuibus nudatum corpus obuoluit, donec artus acutissimo fri-

frigore tabeſcentes furentem calorem abijcerent. Reputate vos animo ceteras viri ſanctiſſimi virtutes, percurrite conſignata poſteris eximiæ ſanctitatis argumenta, panem illi alendis patribus copioſè de cœlo delatum, euocata de nubibus in facinoroſos homines fulmina; depulſas ab elephantiaci corpore puſtulas; condonatam inferentibus iniurias veniam, quorum ſingula integram à me poſtularent orationem, ſi parem reperirent in oratore facundiam. Philippus toti mundo ſpectabilis, meritis opulentus, diteſcere non poteſt frigidæ orationis inopia, & qui ab VRBANO VIII. ſolemnem expectat apotheoſim, non debet à me pedeſtrem panegyrim poſtulare.

Dicebam.

B. ALO-

B. ALOYSII GONZAGÆ

E Soc. Iesu.

VOTIVA LAVDATIO.

SYllam, felicem illum Epaphroditum post Africanam militiã gloriosis se verbis efferentem nescio quis perstrinxisse legitur optimatum, quo modo boni viri nomen posset assumere, qui modica in fortuna relictus à patre tot subinde diuitijs afflueret. Videtur enim opulentia morum integritati bellum indicere, cumque hastis illa pugnet argenteis, inermem virtutum aciem ita profligare, vt eodem in pectore statiua locare non sinat. Opes meritò sapiens ille Lacedæmonius thesaurum appellauit malorum, calamitatis viaticum, fomitem improbitatis; aureis siquidem nodis possidentium voluntatem illaqueant, & inerti quamuis homini, ac testudineo animos faciunt ad quæcumque flagitia. Non enim potest aurum terræ partus terrenis non implere sordibus Midas illos, quorum pascit auiditatem, neque diues flammis non torreri libidinum, quem circà fulgentes auro veste exardent. Cæsarem, atque Pompeium, furialibus in exitium reipublicæ facibus, immodicæ facultates armarunt, cum ciuiles intestino odio discordias, dilecta velut aluo, viperina, hoc est,

ni-

nimia felicitas procreauit. Verùm, vt ego non inficias ierim, viros è puluere erutos, & ad opulentæ fortuuæ splendorem traductos in omnia facile vitia collabi, ita arbitror, virtutis iter, salebrorum alioquin, & arduum opportuno diuitiarum auxilio complanari, ac ingenuo de sanguine genitos in studiosorum hominum albo facili posse negotio conscribi. Neque verò conciliandæ causa fidei, veterum ipse monumenta refodiam, ille, qui vestris obiectus est oculis, occurrat etiam animis ALOYSIVS GONZAGA Cæsarei Princeps imperij, Italicos Dynastes, coronatum caput, qui licèt clarissimo à stemmate natalia deriuarit, educatus in rosa, enutritus in aureis aulicorum nugis, non decipi se tamen est passus dulcibus diuitiarum præstigijs, non irretiri laqueis voluptatum, sed in tanta arridentis fortunæ amplitudine, vnicam, quæ summis exulare videtur à domibus, nouit amplecti virtutem. Vtinam locuples à me facundia deflueret, vt parem diuiti argumento orationem haberem; sed mea mihi fortasse proderit verborum inopia, vt illius tantùm diuitijs nuda ditescat, & Aloysius non de meo accepisse, sed de suo contulisse mihi videatur. Licèt tota qualiscumque futura sit, Aloysij futura sit oratio, qui materiam infanti oratori suggessit, & vires, vt illam, meo veluti Ioui sospitatori, in templo æternitatis affigere debeam, ad instar tabellæ, votiua cum sit.

In ipso igitur limine constitutus, atria non perlustrabo Gonzagæ familiæ, signis, & imaginibus vndequaque referta, non marmo-

moreum vetustissimæ gentis populum recensebo; qui enim nomina suæ familiæ longo ordine, & multis illigata flexuris, in prima ædium parte distribuunt, non noti magis, quàm nobiles esse cupiunt. Nulla est adeò barbara, adeò seposita natio, quàm gloriosæ non stirpis fama peruaserit, celebratæ summis cum imperatoribus nuptiæ, cùm regibus affinitas, coniunctio cum ducibus, triumphalium planè principum laureæ; nemo est qui nesciat, in aureos extendi ramos stirpem Gonzagarum, & fructus edere coronatos. Non igitur familiam in Aloysium prædicabo suum transfudisse splendorem, sed potius ab Aloysio claritatem hausisse contendam; laudabo, quòd in tanta rerum omnium affluentia, qua ducuntur in præceps plerumque iuuenes, nunquam tamen lubrico pede corruerit. Voluptatem in biuio, semitarum ad fauces collocarunt antiqui, vt suis illa blanditijs nescios mulceret adolescentum animos, qui cum sint in vitium cerei, & æris prodigi, facilè melleis conciliatriculæ vocibus deliniuntur. Hinc meritò tria illa ęnigmata ægrè intelligere se dicebat Hebræorum rex sapientissimus, sed quartum ignorare penitus; Viam, scilicet viri in adolescentia, cum enim lubrica sit, & præceps, stabili vix potest gradu consistere, quin vel impingat, vel labatur. Pueros impuberes, non in forum, sed in agrum dimitti prius volebat Lycurgus, vt primos annos labori vouerent, non voluptati, cui obnoxiam, in efferuescenti libidinis æstu, dignoscebat ætatem. Sed quorsum ista comme-

memoro, nisi vt illibatum Aloysij pudorem ostendam, qui & paterno in splendore, & summorum in aulis principum, florem custodijt innocentiæ? Fidem vix mihi conciliarem, nisi iurata testium verba possem producere tactis aris asserentium, Gonzagam Aloysium toto vitæ curriculo, quæ præcocem adusque iuuentutem nimium citò maturuit, nullo fuisse vnquam lethali scelere maculatum. Ego sanè summoperè admiror, dum Aloysium lego, anno septimo, quo rationis esse compotes incipimus, collecto in Deum se animo conuertisse, ac bonis exinde operibus excubuisse; iureque arbitror sanctissimum æquè, ac doctissimum Cardinalem Bellarminum protulisse, Aloysium Gonzagam in diuina fuisse gratia stabilitum, cum puerilem euaderent indolem opera eximia, in quibus se infantulus adhuc exercebat. Annum agebat nonum, cum Florentiæ degens, exhomologesis sacramento, animum expiare labeculis cupiens, discussus primùm anteactæ vitæ diebus, solertique rerum omnium disquisitione præmissa, ad sacerdotis pedes aduoluitur, supplici in habitu, vultu composito, iunctis ad pectus manibus; Hic subito pallor simul, & robur confuso colore genas occupant, contremiscunt artus, lacrimæ erumpunt, toto corpore concutitur; diceres facinorosum, Spartacum aliquem (Syrum nescio quem è grege seruorum) mox culparum magnitudine perterritus ex inopinato deficit, exanimatur, corruit ad terram. Accurrunt, qui propè aberant famuli, erigunt languentem, do-

mum

ctator, qui cum orbem Romanæ luce virtutis impleſſet, apparuit tandem in occaſu vitæ ſanguineus. Feliciorem exitum Philippi parentibus clariſſima in tenebris ſomnia portenderunt; exeruit enim in ipſis cunabulis, in ætatis aurora puerulus eximiæ ſplendorem ſanctitatis, cum à matris abhorrens amplexibus. Nicolaum Myræ Antiſtitem æmulatus, lacte nutricis incepit ſtatis diebus abſtinere, ieiuniumque prius noſſe, quàm cibum. Decumbant alij in roſeis puluillis delicatuli populi, ſtragula ſerica depingat opere Phrygio acus induſtria, faſcias è vento textili, vel linea nebula Coamanus innectat, bullas aureas inſtruat cum crepitaculo nutrix, ſomnum adſpergat ocellulis concinnata dulcibus modulis nenia; Philippus ſatis habuit molli pro toto thalami pauimentum, pro blanditijs aſperitatem, pro crepundijs imagunculas ſacras, pro cantilenis preces diuinas. Loquor prodigium illud, cum quintum vix menſem ingreſſus, duoſque Seruorum ex ordine Patres, panem oſtiatim emendicantes intuitus, matrem, ſolutis linguæ vinculis, cum adhuc ob ætatis infantiam balbutire neſciret, clariſſimis cepit verbis, ad ſtipem Mariæ famulis corrogandam, hortari. Hæreo hic, Auditores, graui ſtupore defixus: infantem, qui paucis ab hinc menſibus oculos ad lucem aperuit, nunc homines de facie cognoſcere? qui proprium ad commodum linguam expedire non didicit, alienæ vtilitati patrocinari? qui lacte nutricis indiget inops ſui, paternas opes elargiri? qui matris nomen

ad

ad aures frequentissimè decantatum efferre nequit, Mariæ vocem articulatim enunciare? An; sacer pupule, Atym Lydiæ regis filium æmulari voluisti, qui cum Cyri militem violentas patri manus inferre molientem aspiceret, illum abruptis linguæ repagulis ab impio flagitio deterruit; cum tu quoque futuros tibi fratres, fame consumptos ab ea pauperrimæ conditionis calamitate vindicare contenderis? Sed adolesce, Philippe, si in fascijs loqueris, quid ni adultus eloquaris? Quod flumen aliquando manabit opportunæ facundiæ, si omnium beneficio tam copiosè decurrit in fonte? Sensit Florentia, cum emenso Patauij, ac Parisijs plurium disciplinarum stadio, laureaque suscepta, distractam in partes, ac ciuilibus dilaniatam odijs patriam sibi conciliare studeres; audiuit flexanimam eloquentiam, cum hostiles lenire discordias, extinguere flammas, dirimere nodos omnes difficultatum satageres; vt audire aliquandò merueris pendentem è cruce salutis nostræ reparatorem, ad montis Senarij te latebras; recessusque sanctissimos allicientem. Agedum igitur mecum, Auditores, Philippum sequimini, qui carni nuntium remittens, ac sanguini, cœlestem ad vitam iter ingreditur, ac venerabilis viri pedibus aduolutus, ad illorum habitum admitti insolenti postulat humilitatis exemplo, qui vel obscuris præpediti natalibus, vel mechanicis tantùm idonei, vilioribus collegij ministerijs addicti, à sacris ordinibus remouentur. O in teneris annis adamantinum

pectus, & in ætate cerea animum æneum, qui tam strenuè in arena virtutum superbiæ cristas depressit, fraudes elusit, conatus infregit. Scilicet illius in ordine Virginis venerat famulari patritius, quæ cum cœli regina esset, ac terræ, humilem se nuncupavit ancillam. Nunquam se putasset religioni Seruorum adscriptum, nisi ceteris in morem mediastini deseruire cœpisset. Inuitatus illas ad nuptias, quibus animus triplici votorum fœdere maritatur, vltimo voluit loco discumbere. Reputate vos animo, quàm optaret in omnibus esse centimanus, cum vel in horto, cœli expositus inclementiæ desudaret, vel nocturno tempore longas in labore domestico curas produceret, vel panis frustula, iniecto humeris sacco, per viciniam quæritaret. Ad illa gradum facio, cum eximia sacerdotis dignitate, maiorum inauguratus imperio, sacris aris adstitit litaturus. Quo loco quid ego plura prosequar, cum angelicæ voces sermonem mihi præripiant? Vix tremenda illa verba protulerat, quibus è cœlo Christus candidum in orbem deuocatur, cum ecce, reboante, hymnis suauissimis templo, concentu dulcissimè temperato, cœlestium spirituum chorus intonuit, verendamque illa verborum triadem Sanctus, Sanctus, Sanctus alterna modulatione concinuit. Quàm vellem mihi nunc pectus esse seraphicum, vt vatis æmulator antiqui nostram conferre possem cum illius visione lætitiam? Tunc duo in cœlis angeli cecinerunt, nunc conferta angelorum acies de cœlis labitur, tunc nu-

nutarunt templi limina; nunc labat præ sonitu Ecclesia, tunc excelso Deus apparuit in solio, nunc sub velo candidissimi panis innotescit, tunc fumo tota domus inuoluta fuit, nunc templum suauissimo turis odore perfunditur, tunc pollutum se labijs prophetes indoluit, nunc Philippus illibatum Deo animum deuouere congaudet, tunc oris maculas alatus nuntius ignito carbone detersit; nunc exiguo orbiculo, charitatis ignitæ compendio immaculati hominis mundities depurgatur; tunc ad deterrendum à flagitijs populum dimissus est vnus, nunc alter barbaras ad gentes, ac mentes concionator Apostolicus allegatur. Loquatur Gallia, quæ suum pertæsa Herculem, suauiores experta est ab ore Philippi catenas prodire eloquentiæ, cum vinculis illaqueata sermonis, rapi se in amorem sensit æternæ felicitatis. Loquatur Germania, quò missus à Nicolao V. Pontifice, & sæpius expetitus à Rodulpho Cæsare, diuini verbi semen feliciùs, quàm olim Cadmus anguis occisi dentes copiosè dispergens, innumeros exurgere vidit ad cœli victoriam, Christianæ militiæ triarios. Loquatur Pannonia, Saxonia, Flandria, vbi cum linquis loqueretur omnium, multiplicem se se vertebat in Proteum; loquantur Tartari, barbari, in quorum tentoria strenuus fidei antesignanus vexillum intulit crucis. Vnum ego præterire non possum charitatis eximiæ portentum, linguæ non tam officio, quàm manus. Inaudiuerat Philippus, duas Circæa quadam in æde prostare venustulas Phrynes, adolescen-

tum Lamias, Megaricas Sphynges, ad quarum lupanar omni velut obſcœnitatis emporium ciuitas vniuerſa conflueret; cum foueam illam ſordium, ac publicarum vt cum Tertulliano loquar, libidinum conſiſtorium ingreditur; cauſam ibi pro illarum ſalute pudicitiæ patronus accuratè perſequitur, tantum pecuniæ auocandis à ſordido quæſtu mulierculis elargitur, quantum venalis pro corporis voluptate ab amaſijs exigebant. Faceſſant hinc, qui aurum ferro nocentius, malorum irritamentum, hoſtem caſtimoniæ nuncuparunt; faceſſant, qui Iouem aurea pluuia Danaes in ſinum defluxiſſe aureis ineptijs cornicantur; Philippus auro euulgati iam corporis puellas ad puritatis inſtitutum, ab omni fœditatis labe ad ſacra conclauia traducit. Philippum liceat hic mihi verius appellare Chryſologum, cum auream non tam ore facundiam, quàm auri copiam liberali manu profuderit. Veneris caſtra argenteis haſtis aggreſſus impudicitiam è ſua ſtatione deiecit. Præmiſit aurum de Philippi conſilio Macedonis Florentinus Philippus, vt ſi non poſſet aculeo linguæ, aureis ſaltem pilis arietantibus, arcem illam adamantini pectoris expugnaret. Quid cum longis itinerum laboribus exanthlaris, ad adicem illum ſupremæ in ſua religione dignitatis, ad quem egregijs ſibi meritis aditum complanauerat, nemine præter ipſum contranitente ſublatus, faſtigium illud conſtanti ſic animo declinauit, vt niſi voce de cœlo delapſa, ad Spartam illam potuerit ineundam impelli. Quid cum in Florentinæ

vrbis

vrbis Antistitem vnanimi populi acclamatione vocatus, generosa sese fuga proripuit? Quid cum ad Petri sedem impendam maiori purpuratorum Patrum suffragio inuitatus, vt clarissimus veluti sol Christianæ Reipublicæ præluceret, nocturno tempore inter obscura montis penetralia delituit, & non tàm sibi dignitatis, quàm ambitioni innexit occasum? Quæso, cum facinus adeò sit insolens, exemplum palmare, dignitas cœlo proxima, paulisper mecum, Auditores, animo sistite, & corpore, præteritorumque refricate memoriam temporum, cum è viuis erepto summa omnium mœstitia Clemente IV. Viterbium Cardinalitij ordinis senatores conuenerunt, vt aliquem innocentia vitæ meritisque spectabilem, qui ad clauum nauis Apostolicæ præsideret, eligerent; cumque in varias hinc indè sententias discrepanti suffragio discederent, Othobonus Cardinalis Fliscus ingenti suffultus aliorum numero, Philippum, qui ad Petri sedem omnium calculis eueheretur, exposuit. Lætare Christiana respublica vt quæ prius hæresium obsessa viribus, & ferè oppressa conatibus miserrimè iactabaris, Philippo tandem erecta Pontifice conquiesces. Lætare, Philippe, eris arbiter mundi, oraculũ orbis, diuinæ legis interpres, ecclesiæ nauarchus pastor catholici gregis, Christi vicarius. Tuos ad pedes principium purpuræ, regnum sceptra, imperatorum diademata prosternentur, imprimet per humillimos nuntios pedibus oscula niger Æthyops, diues Indus, immanis Tartarus: nunc producere poteris, & promouere validius adolescentem

Ser-

Seruorum ordinem; hæresium hydræ syluescêtia capita non tàm gladio potestatis, quàm igne concionum extingues, Turcarum tyrannidem quotidiè magis ferocientem retundes; fidem ad ignotas soli vias, vitiorumque caligine consepultas, extendes. Tuum erit Romanis clauibus cœlorum ianuam recludere, illaqueatos omni scelere mortalium animos soluere, spiritales ad plenam expiationem thesauros liberali manu profundere. Quem Herculem licèt ætate prouidum tàm multæ regnandi viæ non decepissent? Quem Paridem, quamuis limatissimi ingenij hæc aurea poma ancipiti non consilio suspendissent? Honor scopulus virtutis, magnes cupiditatum: fomes affectuum, meta consiliorum, Helena tàm multarum gentium; Penelope tot procorum, quem non alliceret, titillaret? Philippus ergò inter sensus lenocinia, inter electorum suasiones constitutus, quid eliget, aut quid non eliget? Vix ad sui fauorem Cardinalium mentes voluntatis inclinatione propendere præsensit, cum repentè, è vestigio, solus, nocturno tempore, pedes, insalutatis omnibus, Viterbio digreditur, ac maturata fuga solicitus, in arcanas se montis Tuniati latebras factus de Pontifice Anachoreta detrudit. Tàm benè sciuisti, Philippe, dum in te, torrentis in morem, omnium vota confluerent, ad montium saxa perrepere? Siccine præcipuam hominis esse dignitatem autumnasti, non honoribus fungi, sed honoribus dignum existimari? Pontifex ciuitati supra montem positæ comparatur? tu Pontificium munus euitans, arduum peregrinaris

in

in montem? An noſtræ te vindicem libertatis imitari delectat, qui dum ab exundante multitudine quæreretur ad regnum, in montem ſeceſſit ipſe ſolus? Quamuis (abſit verbo culpa) ipſo te fateor orbis reparatore maiorem; Chriſtus tandem deferendum à populi colluuie regnum ſola receſſione declinat, tu regnum triplex à ſummis eccleſię principibus demandatum exilio voluntario repudias. Sed quid agebas inter caucaſeas illas rupes, & ſcrupea ferarum cubilia, niſi quòd, animo ad cœlum euocato, in altiſſimam rerum ſupernarum contemplationem rapiebaris, ni fortè cœleſtis aulæ ciues, felicitati, vt ita loquar, inuidentes tuæ, ad beatiſſimos receſſus illapſu feruenti deuolarunt. Neque ego fallor, Auditores; ſæpè enim Virgo Deipara, copioſo beatarum numero circumſtipata, ad Philippum inuiſendum aduentauit, diuinumque illius brachijs infantulum caſtis oſculis ſuauiandum impoſuit. Felix, & tua clarior obſcuritate ſpelunca; inuidere tibi poteſt Inſulæ antrum Erythræę, vbi ſol roſeo claribus exortu, pluribus, vernantem coloribus iridem pingit, cum maiori Philippum claritate virtutum irradies. Cædat illa Britanniæ cauea, quæ diſcurrentium ab hianti vertice ventorum flabra ſorbillans, imitantem muſica cymbala ſonitum concinnabat; cum in re quoque Philippus diuini ſpiritus tenui ſibilo permeantis aura perflatus, Sacras Deo laudes exoluat. Cedat illa Vulcani officina, cum tuis in viſceribus, ad inferendum hoſti teterrimo bellum, in vndis lacrymarum fatalia magis arma temperentur. Illæ hiſpi-

dæ

dæ fasciæ, quæ cruento Philippi corpusculo reuoluuntur, indicant vincula, quæ principem tenebrarum secura victoria catenabunt? ille verberum turbo, sonantiumque fragor plagarum impendentis est certaminis classicum; ille sanguis, quid disruptis, ac hiulcis depluit à membris scribendis erit prelijs atramentum; illæ lacrymæ, quæ sinuatam nudis genibus humum interfluunt, humorem perennem suggerent illis fontibus, qui mirabilium copia aquarum ex arido saxo manantes ægritudinem omnem læsis à corporibus prodigiosè depellent. Quis mihi aquas illas in mentem reuocet, quas in vrbe Ierichuntina salubres reddidit Elisæus, quas eduxit è lapide Moyses, quas in Cherroneso de rupe Clemens Romanus elicuit? Philippus antiqua nouis præuertens miracula, non semel, sed iterum sicco de pumice ebullientis aquæ fontem euocauit, quæ varijs exceptæ per defluxum alueis, Hetruriam vniuersam omni morborum calamitate restaurant. Quoties arefactis ardente Sirio montis eiusdem cisternis, solus Philippi fons emanantem iugi fluxione riuulum custodiuit? Quoties plures dies in angusto terræ foramine, vel nullo cibo protraxit, vel exiguo panis mundi frustulo longam inediam infregit? Quoties in se crudeliter pius, supplicijs excogitatis, repentem ad cordis fibras libidinem profligauit? Sensit se quondam Philippus impuris æstuare voluptatum flammis, quæ totis gliscendo medullis, animum ad obscœnos amores incendebant, cum ecce tamdiù gelidis niuibus nudatum corpus obuoluit, donec artus acutissimo

fri-

frigore tabeſcentes furentem calorem abijcerent. Reputate vos animo ceteras viri ſanctiſſimi virtutes, percurrite conſignata poſteris eximiæ ſanctitatis argumenta, panem illi alendis patribus copiosè de cœlo delatum, euocata de nubibus in facinoroſos homines fulmina; depulſas ab elephantiaci corpore puſtulas; condonatam inferentibus iniurias veniam, quorum ſingula integram à me poſtularent orationem, ſi parem reperirent in oratore facundiam. Philippus toti mundo ſpectabilis, meritis opulentus, diteſcere non poteſt frigidæ orationis inopia, & qui ab VRBANO VIII. ſolemnem expectat apotheoſim, non debet à me pedeſtrem panegyrim poſtulare.

Dicebam.

B. ALO-

B. ALOYSII GONZAGÆ E Soc. Iesu.

VOTIVA LAVDATIO.

SYllam, felicem illum Epaphroditum post Africanam militiã gloriosis se verbis efferentem nescio quis perstrinxisse legitur optimatum, quo modo boni viri nomen posset assumere, qui modica in fortuna relictus à patre tot subinde diuitijs afflueret. Videtur enim opulentia morum integritati bellum indicere, cumque hastis illa pugnet argenteis, inermem virtutum aciem ita profligare, vt eodem in pectore statiua locare non sinat. Opes meritò sapiens ille Lacedæmonius thesaurum appellauit malorum, calamitatis viaticum, fomitem improbitatis; aureis siquidem nodis possidentium voluntatem illaqueant, & inerti quamuis homini, ac testudineo animos faciunt ad quæcumque flagitia. Non enim potest aurum terræ partus terrenis non implere sordibus Midas illos, quorum pascit auiditatem, neque diues flammis non torreri libidinum, quem circà fulgentes auro veste exardent. Cæsarem, atque Pompeium, furialibus in exitium reipublicæ facibus, immodicæ facultates armarunt, cum ciuiles intestino odio discordias, disscecta velut aluo, viperina, hoc est, ni-

nimia felicitas procreauit. Verùm, vt ego non inficias ierim, viros è puluere erutos, & ad opulentæ fortunæ splendorem traductos in omnia facile vitia collabi, ita arbitror, virtutis iter, salebrorum alioquin, & arduum opportuno diuitiarum auxilio complanari, ac ingenuo de sanguine genitos in studiosorum hominum albo facili posse negotio conscribi. Neque verò conciliandæ causâ fidei, veterum ipse monumenta refodiam, ille, qui vestris obiectus est oculis, occurrat etiam animis ALOYSIVS GONZAGA Cæsarei Princeps imperij, Italicos Dynastes, coronatum caput, qui licèt clarissimo à stemmate natalia deriuarit, educatus in rosa, enutritus in aureis aulicorum nugis, non decipi se tamen est passus dulcibus diuitiarum præstigijs, non irretiri laqueis voluptatum, sed in tanta arridentis fortunæ amplitudine, vnicam, quæ summis exulare videtur à domibus, nouit amplecti virtutem. Vtinam locuples à me facundia deflueret, vt parem diuiti argumento orationem haberem; sed mea mihi fortasse proderit verborum inopia, vt illius tantùm diuitijs nuda ditescat, & Aloysius non de meo accepisse, sed de suo contulisse mihi videatur. Licèt tota qualiscumque futura sit, Aloysij futura sit oratio, qui materiam infanti oratori suggessit, & vires, vt illam, meo veluti Ioui sospitatori, in templo æternitatis affigere debeam, ad instar tabellæ, votiua cum sit.

In ipso igitur limine constitutus, atria non perlustrabo Gonzagæ familiæ, signis, & imaginibus vndequaque referta, non marmo-

moreum vetustissimæ gentis populum recensebo; qui enim nomina suæ familiæ longo ordine, & multis illigata flexuris, in prima ædium parte distribuunt, non noti magis, quàm nobiles esse cupiunt. Nulla est adeò barbara, adeò seposita natio, quàm gloriosæ non stirpis fama peruaserit, celebratæ summis cum imperatoribus nuptiæ, cùm regibus affinitas, coniunctio cum ducibus, triumphalium planè principum laureæ; nemo est qui nesciat, in aureos extendi ramos stirpem Gonzagarum, & fructus edere coronatos. Non igitur familiam in Aloysium prædicabo suum transfudisse splendorem, sed potius ab Aloysio claritatem hausisse contendam; laudabo, quòd in tanta rerum omnium affluentia, qua ducuntur in præceps plerumque iuuenes, nunquam tamen lubrico pede corruerit. Voluptatem in biuio, semitarum ad fauces collocarunt antiqui, vt suis illa blanditijs nescios mulceret adolescentum animos, qui cum sint in vitium cerei, & æris prodigi, facilè melleis conciliatriculæ vocibus deliniuntur. Hinc meritò tria illa ęnigmata ægrè intelligere se dicebat Hebræorum rex sapientissimus, sed quartum ignorare penitus; Viam, scilicet viri in adolescentia, cum enim lubrica sit, & præceps, stabili vix potest gradu consistere, quin vel impingat, vel labatur. Pueros impuberes, non in forum, sed in agrum dimitti prius volebat Lycurgus, vt primos annos labori vouerent, non voluptati, cui obnoxiam, in efferuescenti libidinis æstu, dignoscebat ætatem. Sed quorsum ista comme-

memoro, nisi vt illibatum Aloysij pudorem ostendam, qui & paterno in splendore, & summorum in aulis principum, florem custodijt innocentiæ? Fidem vix mihi conciliarem, nisi iurata testium verba possem producere tactis aris asserentium, Gonzagam Aloysium toto vitæ curriculo, quæ præcocem adusque iuuentutem nimium citò maturuit, nullo fuisse vnquam lethali scelere maculatum. Ego sanè summoperè admiror, dum Aloysium lego, anno septimo, quo rationis esse compotes incipimus, collecto in Deum se animo conuertisse, ac bonis exinde operibus excubuisse; iureque arbitror sanctissimum æquè, ac doctissimum Cardinalem Bellarminum protulisse, Aloysium Gonzagam in diuina fuisse gratia stabilitum, cum puerilem euaderent indolem opera eximia, in quibus se infantulus adhuc exercebat. Annum agebat nonum, cum Florentiæ degens, exhomologesis sacramento, animum expiare labeculis cupiens, discussis primùm anteactæ vitæ diebus, solertique rerum omnium disquisitione præmissa, ad sacerdotis pedes aduoluitur, supplici in habitu, vultu composito, iunctis ad pectus manibus; Hic subito pallor simul, & robur confuso colore genas occupant, contremiscunt artus, lacrimæ erumpunt, toto corpore concutitur; diceres facinorosum, Spartacum aliquem (Syrum nescio quem è grege seruorum) mox culparum magnitudine perterritus ex inopinato deficit, examinatur, corruit ad terram. Accurrunt, qui propè aberant famuli, erigunt languentem, do-

mum

mum non benè sibi redditum asportant. Quid tandem fuit, Auditores, illud, quod Aloysij animo occurrens adeò perculit, vt animum propius eriperet? An verecundia puerilem ita mentem corripuit, vt affligeret humi? At naturæ compositione feruebat Aloysius, ad arma procliuis, & ab infantia inter milites educatus. An præ scelerum turpitudine immanium, horror inuasit? At integer vitæ fuit, scelerisque purus, in nullius sibi criminis grauitate conscius. An languor potius ille fuit amoris, cuius viscera præ teneritudine liquescebant? An ad Dei tribunal reus cum accessisset, ad thronum concidit gratiæ, vt misericordiam inueniret? Ego sic existimo, Auditores, semianimem cecidisse, vt vel leuibus solutus peccatis Deo reuiuisceret, ac de puluere sordium elatus, cœlo resurgeret. Iure tuam appellare potes parentem, Aloysi, Florentiam, etenim in ciuitate florum lilium cœlo gratissimum videbaris; illac tuarum odorem virtutum inhalasti, ibi castissimæ Virgini florem virginitatis deuouisti, vt meritò nullum ab eo tempore libidinis aculeum expertus fueris. Proh singularem Aloysij munditiem? quod olim Paulus repetitis præcibus obtinere non potuit, vt stimulus ab eo carnis auferretur, Aloysius assequitur; quos luxuriæ conatus vt frangeret Hieronymus, nudum saxo pectus obtundebat, Aloysius solo voto coercet; quam Venerem, vt olim confoderet Benedictus, nudum corpus conijciebat in vepres; Aloysius iugulat orationibus; quam animi labem

bem vt declinaret Franciſcus, medijs ſeſe niuibus volutabat? Aloyſius ſolis præcibus euitat? quas flammas vt Bernardus extinguerer, ſtagnantibus ſeſe vndis mergebat, Aloyſius non ſenſit. Siliceum te ne dicam, Aloyſi, vel Apathem, ac planè ſtoicum, vel potius humano in corpore angelum, cum ſupra humanam factus naturam, humanæ lenocinia carnis impollutus ignores. Quis hoc ſibi vnquam ſumat, effrenatam laſciuientis naturæ ferociam ita continere ſe poſſe, vt nullo, vel leuiſſimo libidinis æſtu iactetur? Hoc de ſe iactare poteſt Aloyſius. Quis internecinum ſe adeò bellum compoſuiſſe glorietur, vt vehementiſſimos perturbationum mucrones non pertimeſcat? Aloyſius, inuicte animæ rex, in hac pace quieuit. Sed quæ cohibendis cupiditatibus amuleta ſumebas, adoleſcens integerrime, niſi frumentum illud electorum, & vinum germinas virgines? Quid ciſternas voluptatum diſſipatas ſitiret, qui de ſuauiſſimo dulcedinis fonte potauerat? quid molles eſuriret accubitus, qui ſacro fuerat conuiuio ſaginatus, quidni faces omnes cupidinis fons iſte cœleſti extingueret? Quidni Venus ab aquis exorta moreretur in aquis? Quidni muliebres aſpernaretur illecebras, cuius anima diuinum iam ſponſum ſuauiata fuerat? Tanto iam torrebatur amore mirabilis ſacramenti Aloyſius, vt hebdomades in ſingulas, ad ſuaues illa angelorum epulas accederet, ad theſauros illos diuinitatis repoſitos, quibus egeſtatem ſuam maximopere locuple-

pletari sentiebat. Hinc teneritas illa difflu- xit, vt quoties salutarem ille hostiam sacer- dotis manibus efferri conspiceret, ac populo adorandam attolli, tanta supernæ voluptatis lætitia caperetur, vt lacrymas prohibere non posset. Nimirum oculorum ille humor de- pluebat ad solis diuini radios, & ros ille capi- tis non poterat non, sole ascendente, deci- dere. Quid mirum, quòd sacratissimo pane depastus ieiunia solemniter adeò, & frugali- ter duceret, cum præter indictos ab Ecclesia dies, tribus adhuc in qualibet hebdomade diebus pane contentus, & frigida, iuuenile corpus assiduè vexaret? Neque verò putetis, reliquo tempore, vt vires iam imminutas re- ficeret, genialibus, & immodicis ferculis ven- trem oppleuisse, sed exiguum adeò cibum, pauculam adeò partem è vilioribus dapibus vellicabat, vt omnia ad libellam expensa vix integram ponderis vnciam attollerent. Ca- tharinam ille Senensem æmulatus, vnico pinguium medullatorum conuiuio, languen- tem, afflictam, extinctam penè vitam susti- nuit, vt qui miraculum amoris erat, solo amoris miraculo seruaretur. Cum enim acerbissimis se pœnis exinaniret, ac humana exutus carne, inter homines vmbra videretur quidni Deus in suscepta pugna inuictum ani- mo, sed fractum corpore, arridum, & exsuc- cum admirabili præsidio clarioris militie sa- cramento reseruasset? Nocte ille concubia, cum frigus maximoperè desæuiret, lecto de- silire solebat, lineo solum indusio velatus, vt humi defixus, sacram antè imaginem, in commentationibus longissimas horas produ-

ceret,

ceret, vbi cum aliquando collabentes artus sustinere non posset, sternebat nuda tellure seminudum corpus, & hyeme, & pauimenti rigore conglaciatum, vt, algentibus membris, sese amplius non posset attollere, Res est omninò incredibilis, Auditores, licèt tabulis sit consignata fidelibus; Aloysium tantam in Deum animi collectione fuisse abreptum, tam breuibus, ac subitarijs distractionibus abductum, vt si omnes in vnum cogerentur mentis alienationes, vix recitationi salutationis angelicæ responderent; ita sensus omnes rationis imperio subegerat; ita cogitationes omnes ab instituto abhorrentes eliminarat; ita se ipso plenus erat, & Deo, vt nullum humanis rebus locum relinqueret, vel aperiret ingressum. Quid ego castigando magis corpori tot ferramenta disponis, quid nouas quotidiè lanienas excogites, quid exquisita continuò supplicia meditaris? Non satis est, retortis in nodum funibus, vel asperis loris corpus imbecille diuerberare, nisi ferreis catenulis armata manu contundas? Non satis est cilicina fascia corpus obuoluere, nisi spinosam hispidis è setis tunica induas? Quid calcaria lateribus admones, quid recens confodiendo corpori inuentum excogitas? Quem inueniet inuulneratum in lacera carne locum, nisi vulnera vulneret? Verè lilium inter spinas videbaris, cum aculeatos inter mucrones virginea membra versarentur. Non poteras ex humanæ vitæ carceribus ad cœleste brauium peruenire, nisi calcaria adhibuisses. Rosæ illæ sanguineæ, quæ purpurabant in membris,

calcaiium ftellulis non inuidebant, ſolumque hoc tempore vidimus, non in cœlo, ſed in terra ſtellas apparere ſanguineas. Lilium tuæ pudicitiæ roſam æmulari voluit, quæ prius alba, quemadmodum poetæ loquuntur, ſicut impudicæ Veneris ſanguine rubuit, ita lilium caſtimoniæ tuo virgineo voluit cruore perfundi. Artes amor, docet, Auditores, & cæcus pingitur, quia cæcos reddit, cum ſit Argo occulatior. Quis docuit Aloyſium, cum humi cubare non poſſet, tot linteis ſupponere lignorum fruſtula, ſectaſque de trabibus aſſulas aſſerere, vt molles lecti plumas aſperaret? Nimirum cum alter eſſet vitæ moribus Iſaac, ſeſe Deo non niſi ſuper lignorum ſtruem immolare debebat. Deſiſte, Aloyſi: ſemel incendium declinaſti, cum accenſo in paleis igne, vix euadere potuiſti, quid flammas alias nouo fomite prouocas? Ardebunt aridi illi aſſerculi non alio igne, quàm tuæ flamma caritatis. An Chriſtum imitari cupis, qui in ligno crucis occubuit, dum ſuper ligna decumbis, pluresque tibi cruces machinaris? An in roſa dormire te non putas, niſi ſpinas adiungas? Quàm operoſus erit iſte ſomnus, qui vel dormientem fatigat? Quidni inter Dei filios dilectus exiſtimeris, dum quieſcere vis, ſicut malus inter ligna ſyluarum? Sed ſurge, Aloyſi, indue te veſtibus iucunditatis, opulenta nobilium oſtentatio ad lucem te prouocat theatralem. Adeſte, quæſo, animis Auditores, dum Aloyſium adueho ſtrenuum equitatem in arena victorem. Mediolani, cum Dyoniſiacis feſtis, in ludos bacchanales tota ciuitas
eſſet

esset effusa, & genio vnusquisque suo personam conformem assumeret, qui propè humanam exuerat, Pythagoricamque metempsychosim, quem improbat philosophia, saturnalium insania probaret; equestre de more certamen indicitur, vt concurrentibus ficto sub habitu patritijs, ad lignei militis signum feriendum, ille palmam obtineret, qui scopum propiùs vulneraret. Ingens fit equitum ex omni parte conuentus, vidisses vnum admirationis aucupem, & gloriæ equo sonipede circumuehi, numeroso famulorumne dicam, an vero insanientium propter orgia baccharum comitatu circumseptum, Phœnicia purpura chlamydatum, versicolores Othomanico in diademate pennas euentilantem, pharetra sagittis onusta, barbarum in morem ad læuam appensa, cum argentea machæra: alium Asturconi insidentem peregrinis phaleris, bracteisque sonorè tinnientibus instrato, qui imperioso quondam fastidio caput attollens, ac magnitudini suæ gestiens lenocinetur, modo ceruicis honore superbiens adhinniat, gressusque ad numerum suauiter glomeret, modò saltu se libret in aera, transuersumque succussando se flectat, modò calcibus pedes iactet, & sistat; modò spumam freno remansam ore conuoluens, alterno crurum explicatu resultes; alios subinde, & alios vel ferarum tergoribus inuolutos, vel brutorum rictibus personatos, luporum exuujs, vel leonum spolijs belluas ementiri, ipsis belluis efferatiores. In hunc quoque puluerem, non vt congrederetur cum socijs, sed vt luxum aggrederetur, ingreditur

Aloysius, non Sybaritica licentia, non Attalicis vestibus, sine græcis comitibus, sed pumilo, strigosoque nullo, per septa illa irrumpit, omnium cum risu prouehitur, exsibilatur, exultantemque in eo campo libidinem, Diogenis ad instar Platonis fastum calcantis, non alio fastu, sed sola humilitate, vel ipso calcitrante iumento proculcat. Nunquàm velocius in testudineo vectore cursor aliquis ad palmam conuolauit. Quis mulum dixerit sterilem, qui tantam peperit Aloysio victoriam? Progredere ita, Aloysi, si puer adhuc tàm benè dimicas, quid facies adultus? Quid cum strenuorum Patrum ordini adscriptus propiùs cœlo minaberis? Video, te flammis æstuare diuinis, vt ignatianam militiam profitearis; video ad nobiliores te triumphos aspirare. Potuit te pater humanissimus Ferdinandus Gonzaga omnibus arietare argumentis, à firmo proposito decutere non potuit. Et quidem lapidem, Deus immortalis, non ille mouit, vt tuam frangeret constantiam, in cassum abire conatus, quia in nomine IESV, qui lapis est angularis benè fueras solidatus. Valeant igitur cum suo Mammona diuitiæ, valeant aurea principatus insignia, valeant gemmeæ coronæ, dum nouum ad regnum contendis. Repetenda mihi essent hìc denuò, Auditores, suscepta illa iampridem corporis edomandi machinamenta, quæ in ipso Societatis portu Aloysium iactarunt, quia nunquàm voluntaria verberum procella detonuit; sed nolo iisdem me iterum syrtibus implicare, ne periculosiùs absorbear; aliam ille ingressus est

aream, in qua cum ſeſe primùm exercere non poſſet, nouo religionis ſacramento authoratus egregiè ſe geſſit, & ad necem vſque cum ipſa morte conflixit. Luctuoſum Romana hac in vrbe ſpectaculum ſtrauerat epidemia, occupauerat omnium animos mortis timor, deſperabat ferè vnuſquiſque in tanta calamitate remedium, vbique languor, & dolor, in vijs cadauera, in domibus eiulatus; mors æquo pulſabat pede Principum turres, pauperumque tabernas: Mouebat ea ſpecies Aloyſium, qui eò cupiebat ardentiùs, curandis pio labore corporibus manus auxiliares admouere, quò miſeriùs, frigeſcente, in aliquibus caritate deperibant. Quoniam verò nouum in vrbe medendis ægrotis noſocomium Claudius Aquauiua inclytæ ſocietatis nunquàm intermorituræ memoriæ antiſtes erexerat, ibique ſingulari pietatis exemplo deſeruierat, in hunc ſe mitti Spartam enixè contendit Aloyſius, quàm vt totis ille viribus adornaret, fœdiſſimos quoſque, ad deſperata valetudine cadaueroſos canis, quaſi venaticus odoratur, illorum vlcera ſanie diffluentia, ſtomacho non reluctante, procurat, verbis recreat humaniſſimis, ad ſcelerum dolorem in præſentaneo mortis articulo extimulat, dum non poſſit corporis, animæ ſalutem comparare conatur. Non debebat Aloyſius hoc morbo decedere, quia plures è morbo ſuſtulerat, niſi fortaſſe peſtis illum corripere voluit, quia rabiem eius frenauerat, clademque minuerat. Sed mortem non timuit athleta ſtrenuus, quinimò cum illa congredi

postulauit, ac veluti imbellem flagello cedere voluit; petijt enim in extremo vitæ agone, vt loris posset humeros aliquantisper obiurgare, animumque ægrè de corpore discendentem, refractarium quasi equum, ad cœli metam impellere. Verùm cum non posset hoc à maioribus extorquere, illud saltem vltima pe itione contendit, vt humi decumbens posset animam agere; quod etiam cum æquali constantia pernegaretnr, oculis in nostri reparatoris imaginem defixis, cœlesti prius viatico communitus, iter ad cœlum arripuit. Moritur Aloysius de beatorum adeò gloria securus, ac si cœlos cum martyrum antesignano sibi vidisset apertos; ingreditur ille patefactas sibi ianuas, quas cum nihil coinquinatum introire valeat, omnes in terra maculas vel absterserat, vel vitarat. Quod si quos Athenis pestilentia non sustulit, Deorum beneficio immortales appellat Euripides, mori voluit post longas corporis afflictiones febri pestilenti Aloysius, vt immortalis esset in cœlo.

Dicebam.

AD

AD EMMANVELEM DE MORA

Philippi IV. Hispaniarum Regis apud Vrbanum VIII. Oratorem.

ORATIO.

NOn poterat, per indiserti voces oratoris, Clementini Collegij non erumpere gaudium, Excellentissime Princeps, cum victoris olim Pompeij ad Posidonij gymnasium diuertentis exemplum repetens, sacrum hoc bonis artibus domicilium, singularis ad specimen humanitatis, inuisere voluisti. Exultantes etenim Musæ, dum EMMANVELEM suos intra lares exciperent. Deum veluti suum, ac meliorem Apollinem excipere videbantur; breuique DE MORA solicitæ ad gratias exsoluendas prosilire studebant, ne sine gratijs esse dicerentur. Me voluerunt insignis adeò statuere beneficij præconem, vt opportuniùs debitæ ab omnibus gratiæ referrentur, si nudæ prodirent absque fuco eloquentiæ, deinctumque multis nominibus ostenderent animum, si omni solutæ vinculo forent adstrictæ numeris orationis. Quamuis nostras ædes tam dignus hospes ingrederis, vt malè magnitudini meritorum tenuitas respondeat

oratoris, nec posset exaggeratæ virtutis commendatio ab elingui dicentis infantia proficisci.

Vindicant me ab omni palpandi suspicione tot summis laboribus partæ à tuis maioribus laureæ, tot tituli à magnis regibus in gentilitium splendorem illati, tot initi gratulabunda populorum acclamatione magistratus, quibus familia tua adeò enituit & numero, & amplitudine maximis, vt plures alias obscurare valeat claritate virtutis. Prætereo libenter cæteros generis præclarissimi proceres, vnus te solum, præter tua decora, pater tuus ad gloriam euehit immortalitatis Christophorus de Mora, cum nihil sit tàm liberis honorificum, quàm triumphali fuisse parente prognatos. Iste in florentissimo Hispaniarum regno, à Philippo olim secundo primus, adoratum populo caput, totius quasi regiminis arbiter, quorum non sibi studia conciliauit, quæ non toti orbi reliquit magni animi monumenta? Tolluntur aliqui in altum, vt lapsu fortunæ grauiori præcipites ruant: Christophorus, quamuis lubrico ad aulam aditu. omnibus tamen superior calamitatibus, ad primos honores euectus casum formare non poterat, validissimo virtutis brachio suffultus. Testatur hoc demandata illi non semel, sed iterum Lusitanici regni prouincia, vbi in sustinendo Proregis munere, quàm strenuè se gesserit, ex ea, quà excelluit, regina virtutum clementia, coniectare potestis. Nimirum nouerat, non minus esse turpia viro principi multa supplicia, quàm medico multa funera, regiumque caput

nulla

nulla melius corona præcingi, quàm illa, quæ seruatos ob ciues publicæ libertatis reparatori defertur. Quam multi sunt, qui clementis sibi cognomentum adſciſcunt, quibus deſæuiendi finem facit hostium inopia? Quam multi Neronis æmuli, capitalibus ſcribendis ſententijs neſcire literas vellent, quia fortaſſe non vti calamo, ſed pugione mallent? Concordiæ titulum ſibi à patribus turpi aſſentatione delatum Vitellius arripuit, ciuilium illa furia diſcordiarum: nomen Pietatis M. Antonij trium viri frater Lucius adoptauit, impius in patriam, ac perduellis; Pater Patriæ nuncupatus fuit Octauius Auguſtus, ſed poſt mare Actiacum Romano cruore infectum, poſt fractas in Sicilia claſſes, poſt Perusinas aras, & proſcriptiones, quando clementiam ſuam appellare poterat laſſam crudelitatem. Christophorus toto vitæ curriculo clementiſſimus muliebris eſſe putauit impotentiæ, furere in ira, ſed cum poſſet æquiſſimas nocentibus pœnas infligere, dexteram ad iuſtitiæ gladium extendere noluit; mortuorum oſſa in gentilitio ſtemmate continere contentus, quorum vitam à violenta morte ſeruaſſet. Sed nihil prodeſt, quod Laconibus obiectat Lycurgus, ab Hercule genus repetere, niſi conſona Herculeis miraculis facinora tardi nepotes demirentur. Emicant in te, Excellentiſſime Princeps integerrimi patris hereditario iure tranſmiſſæ virtutes, animi celſitudo, ingenij præſtantia, conſilij grauitas, mentis vigilantia, pectoris fortitudo, omnes Emmanuelis

hoc est mellis, & lactis filiæ, quæ non tantùm ab omnibus amorem eximium extorquere potuerunt, sed ipsum quoque Catholicum regem impellere, vt te inter selectos regij cubiculi nobiles adoptaret. Solent principes magno æstimare introitum, ad tactum sui liminis, vt thalamo suo propiùs assideas, vt prior intra tecta auro radiantia pedem inferas, è quibus deinceps multa sunt ostia, quæ receptos excludant; Te, ne vnquam excludereris, ex primoribus vnum Hispaniæ magnatibus renuntiauit, & inter alios, quos appellant, status Consiliarios, singulari honore transcripsit.

Quàm arduum sit regibus præbere consilia, malo docuit suo Præxaspes Cambysi Persarum Dynastæ carissimus, qui cum regem, vt vino parcius indulgeret, lubrica nimium, lingua monuisset, & oculos, & manus aspexit à rege post vinum in officio contineri, cum filium illius è regione consistentem Præxaspes spiculo contorto transfixit, maluissetque regem vinum haurire, quàm sanguinem, calices exonerare, quàm tela. Tu tamen nec periculo alieno deterritus, nec regijs auribus blandiendi cupiditate commotus, omnia licere principi, quod Neroni olim insusurrabant iniqui consules, non asserebas, sed rerum pondera æqua mentis lance collibrans, sustinebas consilio rem publicam, quam princeps sua potentia firmabat. Celebrantur in Hispanico regno oculatissimi consiliarij, qui non pugnando tantùm militibus, sed etiam sedendo sententijs vrbes euertunt, ne iam solus dica-

tur

tur Romanus, sedendo triumphare. Intersunt difficillimis rebus grauissimi patres, regnum verè confessus, vt Romanos olim senatores apud Pyrrhum Cyneas commendauit, cum & Scipionum Hispania virtutum habeat, & Lelij consilia. Hinc meritò supremam ordinis Christi, quam appellant, Commendam Rex tibi beneficentissimus demandauit, & vt fores catholicæ fidei vindex acerrimus, crucem defixit in pectore. Hinc te insularum, quæ Tertiæ sunt ordine ex Hispania venientibus, administratorem edixit, cum satis consideret, posse insulas turbidissimi oceani obiectas insaniæ, gentilitijs tuæ familiæ turribus stabiliri. Illic vbi sol occidit, tuæ gloriæ splendor exoritur; illic septenæ turres portum fluctuantibus tutissimum enuntiant, inuasuris exitium. Aduenisti nuper ad VRBANVM VIII. totius Hispaniæ orator, rebus grauissimis animum adiecturus, cumque ad obeunda legationum munera emunctæ naris, & limatissimi ingenij viros oporteat adlegere, quidni felicem causarum omnium exitum sibi polliceatur Hispania, cum oratorem solertissimum ad hanc vrbem allegarit Emmanuelem, qui malum reprobare, ac bonum eligere non ignorabit? Rarum est in viro principe, sanguinis claritatem coniungi cum literis; aureas enim pecudes, iumentaque argento circumtecta vir ille Apollinis oraculo sapientissimus diuites nuncupauit ignauos. Tua laus, Excellentissime Princeps, qui nullam putasti nobilitatem à virtute disiunctam, sed turbidissimis

ſimis licèt curis implicitus, ingenium tamen nunquàm à literis auocaſti. Multi ſunt, qui nominis immortalitatem ſui, non à ſcientijs, ſed à lapidibus petunt; iſti nimirùm, vt ſimiles ſibi fiant lapideæ imagines, curant, non curant, quòd ſint ipſi lapidibus ſimiles: Tu perennem gloriæ famam poſteritati tranſmiſſurum putaſti, ſi te ad virtutis iconem conformares. Gaudeant aliqui, parietes bellicis diſtinguere clypeis, & atria fumoſis replere imaginibus; tu præter hæc auitæ dignitatis ornamenta, animūm oſtentare potes exquiſitis diſciplinis excultum, politiori literàurato conueſtitum. Quantum vtilitatis à tuæ eloquentiæ fonte deriuabit Hiſpania, prudentem cum ſummo Pontifice dexteritatem expertura, in peragendis negotijs ſolertiam, in curiæ amplitudine grauitatem? Cum enim legati, vt Laconnm olim oratores Lygdamo tyranno dixere, non collectaturi veniant ad principem, ſed collocuturi, vires exercere non debent corporis, ad pugnandum, ſed facundiæ fauos exerere, ad animum deliniendum. Extulit ſemper tua Luſitania heroas omni ætate clariſſimos, reges vindices fidei, aſſertores Eccleſiæ; erexerunt illi pro ſtemmate ſcutum argenteum, vt meritò dici poſſet Eccleſia, habere propugnacula argentea. Intulerunt alia quinque cærulea, candidis circulis interpuncta de profligatis quinque Mauritaniæ regibus comparata, vel quia Chriſti vulnera inter præliandum Alphonſo primo diuinitùs apparuerint, vel quia quinque lethalibus ſauciatus vulneri-

neribus rex inuictiſſimus, diuino ſuffultus auxilio non occubuerit. Expectat à te quoque non modicum Chriſtiana reſpublica leuamentum, cum eiuſdem ſtemmatis heres fueris, atque virtutis, quam ſatis iam in Hiſpania cognitam, in aula Romana patefacies, vbi tuis glorioſis facinoribus hæc ſemper gymnaſia perſonabunt, Collegium Clementinum. impensè lętabitur tua primùm præſentia cohoneſtatum.

Dicebam.

IN

In obitu Reuerendissimi Patris Magistri

HENRICI ANTONII BVRGI

Relig. B. M. V. Seruorum Generalis.

EPITAPHIVM.

Habitum Romæ in Templo Sancti Marcelli.

Anno Domini M.DC.XXX.

QVI mœrentium patrum animos in obitu Henrici Antonij Burgi, generalis antistis dolor acerbus inuasit, infantissimum compulit oratorem, vt in hac funeris pompa, in lugubri cenotaphij apparatu, præsuli optimo, patri benemerenti parentaret. Et sanè non debebat huc lactea longæui Nestoris eloquentia vocari, vbi de morte præpropera destitutus filiorum ordo conqueritur; dissonumque fuisset fulminatricem Periclis facundiam accersere, vbi languere debent vniuersi mœrore confecti, tristemque summi viri iacturam exundantibus lacrymis deplorare. Vnus adoptandus erat, qui ad subij-

cien-

ciendam oculis luctuosæ tragędiæ catastrophen in atrati proscenio templi, tenebricosæ orationis caligine, noctem mæstissimæ Religionis adumbraret. Me nuncupastis, Patres religiosissimi, vt promerem verba pro lacrymis, conceptumque vestris in cordibus dolorem satis abundè testarer, dum consignata ab Henrico posteritati gesta percurrerem, vt melius ex tanti boni amissione, vestri mali calamitas penderetur. Ero igitur ipse præfica ad tumulum, dum in tumulum mors profligata detruditur? Epitaphium aggrediar eo tempore, quo tempore salutis reparator humanæ epinicium in solemni triumpho deposcit? Ita postulant, Auditores, humanæ vicissitudines conditionis; vt dum apicem felicitatis attigisse putamus, proturbemur in imum doloris; vt videatur quodammodò nos altiùs extulisse fortuna, quò grauiore lapsu ruamus; vt felicem nostræ vitæ tractum, infelici euentu, postremus actus excipiat. At quando inflictis à morte vulneribus non alio datur solatio consulere; quàm illorum memoria facinorum, quæ desolatos ad nepotes defunctus egregiè transmisit; date hoc dolori vestro, Patres, date hoc infantiæ meæ, vt per laudes Henrici ordine tumultuario vagetur; ita per inconditas voces defixus in pectore dolor faciliùs erumpet, ipse meliùs erepto vobis parenti optimo feralia iusta persoluam.

Quo loci non ibo per antiquorum trophæa, non ambiguas maiorum imagines circumducam, non vrnas enumerabo clarorum hominum: nolo enim, alienis facibus in-

hoc

hoc funere præeuntibus, benè longam propriarum virtutum pompam educere, nolo, emendicatis aliunde præconijs, Henrici Antonij cenotahium adornare. Censeatur Burgorum familia longo de sanguine, veteres vndique ceras ostentent in atrijs, suffulciat dimidios Curios, fumososque cum Dictatore Magistros equitum: miserum existimauit Henricus, famæ aliorum incumbere; maluissetque patrem habere Thersiten, dum ipse foret Achilli similis, quàm vt ipsum Thersitæ similem Achilles produxisset. Vnicam ille virtutem, licet amplissimo de stemmate genitus, veræ claritudinis loco reposuit; trabeas, & fasces duxit arbitria fortunæ, non argumenta virtutis; statuas temporum iniuria deteri, æreas exedi machinas obducta rubigine, picturas incubante caligine violari, solam sapientiam, in aliarum rerum interitu, reuiuiscere nunquam interituram. Præteribo infantilis ætatis crepundia, primamque pueritiæ disciplinam; tantam enim nutricis vberibus cum lacte pietatem expresserat, vt rationis quasi maturato consilio, rectè factis ætatem præuerteret; cumque alijs in adolescentibus probitatis exempla non in summo gradu suppeterent, se sibi objicerent subijciendum. Ipsa me vocant susceptæ religionis tyrocinia, cùm beatissimæ cœlorum reginæ amore deflagrans, rebus omnibus opulentæ familiæ valere iussis, nuntio lapsuræ humani fastigij celsitudini remisso, nigro se habitu obleuare constituit, vt animum cœlo candidum deuoueret; cingulo latus obstringere, vt mundi so-

ſolutus à laqueis, curis ſe cœleſtibus impli-
caret. Non illum pellices voluptatum illecebræ titillarunt, non geniales thalami pellexerunt, vt accubaret in roſa, non in erraticas excurrentia figuras aulæa, non Attalicis opibus comparata ſupplex, non blandiſſima diuitiarum lenocinia; non validiſſimæ vanitatum obſidiones dementarunt, vt cęleſtem ſpiritũ exuens ad fluxa hæc, & inania deflecteret animum, vel in ſtudio pietatis, quo iam ſatis exarſerat, conſequenti ſpatio terperet. Abſoluti numeris omnibus viri ſibi præfixit iconem, ad quam operibus exprimendam, tamquam ad Polycleti canonem, inſignia virtutis opera collineabat, ſemper à ſe diuerſus, qui ſpirantem in ſe virtutis imaginem ſatagebat inducere; quinimò ſibi magis quotidie ſimilis, dum accuratiùs in ſe conceptam virtutis effigiem expoliret. Nimirum, quia

Doctrina vim promouet inſitam,

Rectique cultus pectora roborant;

vt latinus cecinit Pindarus; ingenium ille ſtatim demerſit in literas, adiecit ad ſcientiam, vt acquiſitæ conformatione ſapientiæ homo quadratus euaderet. Eloquentiæ non delibauit, ſed hauſit fontes; poeticæ vireta Apolline non inuito luſtrauit; Græcas literas citiſſimè edidicit; à muſicis numeris non abhorruit, vt muſicum ad omnes diſciplinas ingenium, ſingulari priuilegio, mutuaſſe diceretur. Patauij, totum ſe philoſophiæ mancipauit, ac introſpiciendis naturæ arcanis limatiſſimum addixit ingenium; vt eo labore non tam indagator fieret veritatis, quàm cognitor ſui; non tam ingenioſè diſſere-

ferere, quàm optimè viuere doceretur. Quoties solidas sibi noctes præteruolare querebatur? adeò, æternum ille studium putabat horarium, si nox tamen vlla Henrico potuit oboriri, non ad lucernam Demosthenis, sed ad clarissimam sapientiæ lucem excubanti. Perusiæ, theologico in puluere desudauit acerrimè: difficultates omnes in rebus à sensu dissitis exantlauit; penitiora cœli sacraria clarissimo sermone patefecit. Quid, cùm à palæstra in arenam, ab vmbra ad solem, à gymnasio processit in circum, vt in amplissima sapientum virorum frequentia theologicas theses publicæ disputationi submitteret? Romam, in hanc omnium terrarum arcem, & gloriæ domicilium, ad generalia comitia vocatur, vt versantes inter Angelicum, & subtilem doctorem controuersias ingenio versatili sustineret; diuitiasque sapientiæ depromeret, quas summo labore partas memoriæ penu condiderat. Definitur pro angusto suæ virtutis theatro augustissimum hoc D. Marcelli templum, præscribitur hora, corona stipatur, accersuntur insigniores theologi, confluunt primarij literariæ reipublicæ proceres: quidquid eruditorum hominum Roma claudebat, in eum conuentum effudit, sedem huc suam transtulisse sapientia videbatur. Assident purpurati Patres, adsunt plurimi Præsules, circumfunduntur florentissimæ Religionis præcipua lumina, tenet suggestum Henricus præstantis aleam ingenij gloriosè lusurus; quum ecce tonare de alto cepit Periclis in morem Olympij, vibratas ad

suæ

suæ euersionem doctrinæ rationes eludere, ametatos contra se syllog smos infringere, enthimemata contorta reflectere, ipsos sapientiæ neruos eneruare. Concitauit Henricus eo certamine tantam suo nomini gloriam, vt crebrescente per omnes angulos suæ fama virtutis, Paulus Quintus Pontifex Maximus emerita Doctoratus laurea iusserit statim inaugurari, primas illi nec steriles cathedras demandari. Quò loci succurrit animo, quod olim de Triptolemo poetarum commenta loquuntur, alatis vectum draconibus, mundum vniuersum, iactis seminibus consperfisse; cùm videam Henricum, Burghesij draconis auxilio, per insigniores Italiæ ciuitates doctrinæ semina dissipantem, è quibus vberrima sapientùm hominum seges exurgeret. Theologiam intueri mihi videor orbis terrarum spatia peragrantem, non velut extorrem, & profugam, sed ad dandam salutis scientiam, ad impertiendam ijs, qui in tenebris sedent, lucem communi pro commodo peregrinantem. Vicentiam ad Collegium bericæ montis allegatur Henricus, vt in illis regionis amœnæ delicijs, velut in Parnassi culmine, primos theologiæ latices in auro suæ facundiæ propinaret adolescentibus degustandos. Adiuit ille Spartam summi decoris, exornauit illam ingenti cum fęnore collectæ virtutis; quia gloriam patris esse putauit, filios educare sapientes. Quid me elegistis, Patres ad flendum, non potiùs ad gratulandum Henrico, qui patriam meam suæ radijs doctrinæ collustrauit? Deberem ego potiùs, insumptis pro laboribus,

ferere, quàm optimè viuere doceretur. Quoties solidas sibi noctes præteruolare querebatur? adeò, æternum ille studium putabat horarium, si nox tamen vlla Henrico potuit oboriri, non ad lucernam Demosthenis, sed ad clarissimam sapientiæ lucem excubanti. Perusiæ, theologico in puluere desudauit acerrimè: difficultates omnes in rebus à sensu dissitis exantlauit; penitiora cœli sacraria clarissimo sermone patefecit. Quid, cùm à palæstra in arenam, ab vmbra ad solem, à gymnasio processit in circum, vt in amplissima sapientum virorum frequentia theologicas theses publicæ disputationi submitteret? Romam, in hanc omnium terrarum arcem, & gloriæ domicilium, ad generalia comitia vocatur, vt versantes inter Angelicum, & subtilem doctorem controuersias ingenio versatili sustineret; diuitiasque sapientiæ depromeret, quas summo labore partas memoriæ penu condiderat. Definitur pro angusto suæ virtutis theatro augustissimum hoc D. Marcelli templum, præscribitur hora, corona stipatur, accersuntur insigniores theologi, confluunt primarij literariæ reipublicæ proceres: quidquid eruditorum hominum Roma claudebat, in eum conuentum effudit, sedem huc suam transtulisse sapientia videbatur. Assident purpurati Patres, adsunt plurimi Præsules, circumfunduntur florentissimæ Religionis præcipua lumina, tenet suggestum Henricus præstantis aleam ingenij gloriosè lusurus; quum ecce tonare de alto cepit Periclis in morem Olympij, vibratas ad

suæ

ſuæ euerſionem doctrinæ rationes eludere, ametatos contra ſe ſyllogiſmos infringere, enthimemata contorta reflectere, ipſos ſapientiæ neruos eneruare. Concitauit Henricus eo certamine tantam ſuo nomini gloriam, vt crebreſcente per omnes angulos ſuæ fama virtutis, Paulus Quintus Pontifex Maximus emerita Doctoratus laurea iuſſerit ſtatim inaugurari, primas illi nec ſteriles cathedras demandari. Quò loci ſuccurrit animo, quod olim de Triptolemo poetarum commenta loquuntur, alatis vectum draconibus, mundum vniuerſum, iactis ſeminibus conſperſiſſe; cùm videam Henricum, Burgheſij draconis auxilio, per inſigniores Italiæ ciuitates doctrinæ ſemina diſſipantem, è quibus vberrima ſapientum hominum ſeges exurgeret. Theologiam intueri mihi videor orbis terrarum ſpatia peragrantem, non velut extorrem, & profugam, ſed ad dandam ſalutis ſcientiam, ad impertiendam ijs, qui in tenebris ſedent, lucem communi pro commodo peregrinantem. Vicentiam ad Collegium bericæ montis allegatur Henricus, vt in illis regionis amœnæ delicijs, velut in Parnaſſi culmine, primos theologiæ latices in auro ſuæ facundiæ propinaret adoleſcentibus deguſtandos. Adiuit ille Spartam ſummi decoris, exornauit illam ingenti cum fœnore collectæ virtutis; quia gloriam patris eſſe putauit, filios educare ſapientes. Quid me elegiſtis, Patres ad flendum, non potiùs ad gratulandum Henrico, qui patriam meam ſuæ radijs doctrinæ colluſtrauit? Deberem ego potiùs, inſumptis pro laboribus,

bus, immortales ei grates rependere, quàm monodiam ad feretrum decantare. Sed triumpha in cœlis, Henrice, Vicentiam, semper habebis tuis deuinctam triumphis, tua semper adornabit Vicentia victorias. Bononiam vocor, ad quod tu quoque literarum emporium migrare præciperis, vbi theologicam denuò facultatem profitearis; vt qui ad conferendam omnibus opem natus fueras, bonum istud etiam Bononiæ conferres. Conijcite, Auditores, quem fructum in illa studiorum parente messuerit, quàm locupletem laborum segetem constiparit; non enim possum omnia pro dignitate librare, sed cogor in tanta rerum copia inopiam affectare materiæ. Sequi me oportet Henricum, qui à Mediolanensi senatu Papiam, ad vetusta illa sapientiæ Augustalia dirigitur, vt in publicis exedris theologi personam eximio cum splendore sustineat. Prouinciam aggressus est, tum loci magnitudine, tum auditorum varietate perarduam; in qua tanta cum laude laborauit Henricus, dum implicata explicaret, inuoluta euolueret obscura patefaceret, à sensu remota subijceret oculis, vt omnium in se corda conuerteret, raperet animos, illaquearet auditores. At vix potuit paucos hic annos exigere, cùm magnus Hetruriæ Dux Cosmus secundus è multis vnum exhibitis adoptauit, vt Pisarum ciuitatem suis cohonestaret doctrinis, & antiquissimam illa in ditione vniuersitatem ad maiorem promoueret splendorem. Quæ ciuitas est, Auditores amplissimi, quæ studiorum sedes, quis prin-

princeps eruditorum Mœcenas, qui Henricum ad ſe trahere ſummo non officio contenderit? Excepti Platonem Dionyſius, Cleombrotum Ptolemæus, Ariſtotelem Alexander, Virgilium Auguſtus: habuit Roma Quintilianum, Demetrium Athenæ, Menandrum Ægyptus, Henricum Italia tota poſtulauit. Homerum Colophonij ciuem eſſe dicant ſuum, Chij ſuum vendicent, Salaminij repetant, Smyrnei ſuum eſſe confirment: de Henrico nobiliores Italiæ ciuitates depugnant; Vicentia flagitat, Bononia contendit, Papia decertat, Piſæ rapiunt; vniuerſa gymnaſia ſibi inuicem extorquere conatur. Piſis Henricus ampliſſimam ſibi vidit aream patefactam, apertumque theatrum, in quo poſſet exultare, illic ſuæ faces exeruit doctrinæ, radios ingenij diſperſit. Confluebat ad illum audiendum diſcipulorum multitudo, vndabat Athenæum tam multa iuuenum frequentia; nundias diceres, vbi non merces; ſed pretioſior auro ſapientia veniret. Rectè ſenſit Seruorum Religio, cum plures ſtatuit eiuſdem ordinis patres Henrici lateri tenere ſemper affixos, vt ab illius doctrina, rectoque viuendi inſtituto, & ſapientiam mutuarent, & ſolidæ virtutis argumenta depromerent. Meritò ad Henrici reſponſa, velut ad Apollinis Delphici oracula, diuertebant in turbidis mortalis theologiæ rebus Hetruriæ magni Duces, periculum ſemper in eo conſilio veriti, quod vel non ſuaſiſſet Henricus, vel ſuffragium ab Henrico non accepiſſet. O Henricum fidelem in regno ſocium,

non

non coronæ, sed curarum, oneris, non honoris. Quanti æstimabatur à sacra regularium Congregatione, ad quam cùm in spissis negotijs eiusdem ordinis Patres confugerent, illa omnes Henrico causas demandabat, vt modum omnibus pro sua prudentia reperiret? Verùm alia fortasse grauiora meam ad sese postulant orationem; cùm inserendæ in hominum corda pietatis ardore succensus, celebrioribus Italiæ pulpitis verbi diuini disseminator intonuit, vt sordentes in cęno vitiorum homines ad cęlum lacteo facundiæ candore transferret. Possem hic vrbes recensere plurimas, in quibus mirifico Christianæ reipublicæ prouentu, concionatoris partes egregiè persoluit; sed vereor ne soli radios adiungere videar, aut clarissimam in dubium vocare veritatem. Adstipuletur meis dictis Ariminum, Parma, Lauda nouum Comum, vbi nunquam intermorituram nominis celebritatem dicendi copia conciliauit; adstipuletur Verona, Patauium, Mantua, Bononia, Regium, Mediolanum, Pisæ, Genua, Florentia, quæ suis pene sedibus conuulsæ, torrente multitudinis inundante, feruebant in templis. Testem appello pulcherrimi huius templi spatium dignissimum; imò Romam appello vniuersam, quæ sicut; olim à Ciceronis ore suspensa pendebat, ita ab Henrici facundia absorbebatur in Deum, sibique mortua videbatur, dum ne in audiendo quidem respiraret, aut si mortua fuisset, à viuida eloquentia vitam sperabat immortalem. Non hic murmur obstrepebat, non strepitus insona-

ſonabat, non ſonitus inſuſurrabat; dabatur ipſi reſpirationi quies, niſi fortè aliqua ex audientium pectoribus ſuſpiria elicuiſſet Henricus. Sibi habeat ſuas Philippus haſtas argenteas, quibus acies proſternat armatas, ſuum auro congeſto adrepentem præmittat aſellum, vt ciuitates excindat: Henricus ad euertendam obſtinatæ voluntatis arcem, & inflectendos ceruicoſæ impotentiæ capitones, ſolam vſurpat eloquentiam, niſi potius aureo preſidio linguæ munitus perrumpit animos, ad deditionem impellit. Erat illi pro fonte ferax ingenium, pro alueo ſuggeſtum ſententiæ pro vndis, verba pro arenis, pro fęcunditate doctrina; cumque fluuium eloquentiæ translationum imbre, figurarum confluxu, argumentorum fluctibus auxiſſet, quaſi ſe intra ripas continere non poſſet, in aures auditorum labebatur. Non ego mirabor, quòd pluribus illum domibus Religio præfecerit, Prouincialem renuntiarit, ſtudiorum moderatorem aſſeruerit, Viſitatorem generalem elegerit, cùm pares ad onera quæcumque vires haberet. Sed tunc reuera debitum ſuis meritis apicem Henricus attigit, cùm ſine captandæ gratiæ choragio, ſed ſola virtute, quæ omnium animos incredibili admiratione pulſarat, ſine prehenſatione, ſine ambitu, conſpirantibus omnibus ſuffragijs, anno ſæculari, Romæ, Generalis tum ſtrenui ordinis Antiſtes ſalutatur. Exinde porrò quanta vigilantia excubuerit, quàm ſenatoria ſolertia animaduerterit, ne regularis inſtitutum diſciplinæ labaſceret, ne primus initæ

re-

religionis ardor extingueretur, ab ipso illius nomine diuinitate, qui ab officio pastoritio nomen deriuauit Henrici. Quamuis enim grauioribus innumeræ familiæ curis esset implicitus, & cogeretur animum ad plura conuertere, communia tamen officia non destitit exequi; sed cùm leges alijs præfiniret cum Atheniensibus, legibus obtemperare meminerat cum Spartanis. Vix ad clauum sedere cepit, cum regulas religionis, efflagitantibus generalis comitij Patribus, ad meliorem methodum reuocare constituit, obliterare difficiles, emollire asperas, enodare dubias; vt vbi maxima legum esset dignitas, ibi minimum exerceret authoritatis. Nouerat Henricus, multas exquisitas leges argumentum esse malè administratæ ciuitatis, nec esse opus implere porticus literis, aut eburneas ad omnium intuitum suspendere tabulas, sed quod digitus breui labore conscripseret, tota manu complere. Non illos imitabatur, qui Neroniana toruitate oculos defigunt in aliquem, vt configant, qui terrico vultu deterrere gaudent sibi ipsis formidolosi; qui religionem supercilio, vt Atlas cœlum humeris, effulcire se putant; sed eumdem se cum alijs existimabat, paremque omnibus: tantò ceteris maior, quo melior. Sileantur illa effrenatæ crudelitatis prodigia: oderint dum metuant; obsolescat Vitellianæ sæuitiæ memoriam: optimè olere occisum hostem, melius ciuem: Henricus teterrimæ politiæ aphorismos pertæsus, ipso amore sibi timorem conciliabat; tam prodi-

digiosum fœdus illius in pectore maiestas, & amor, veteri composito dissidio, percusserant. Procul ab Henrico catenata nouis, iussis imperia, procul onera importabilia, quæ ne digito quidem alij mouerent, ille semper præmisso iubebat exemplo: Res est omnino ardua, Patres amplissimi. ita publicis implicari negotijs, vt ad priuatas curas expedire se possit aliquis; ita se totum alienis deuouere officijs, vt ad sui beneficium perfectam quoque operam collocet; Tua laus, Henrice, qui inter tot supremi muneris labores, & tibi, & alijs abundè sufficeres, alijs oculus, tibi manus. Loquatur aureum illud opus, quo Gandauensis Henrici paradoxa summa ingenij dexteritate, enodas, enucleas; perinde ac non ab alio, quàm ab Henrico lucem mutuare posset Henricus. Loquatur altera pars, quàm improbo studio compilaueras, & iam iam, prælo submittere destinaras, nisi, ad eas theologiæ veritates in diuinæ naturæ speculo conspiciendas, diuina te veritas aduocasset. Loquantur excitata ad solidandam in tua religione virtutem Florentiæ, Bononiæ, & alijs in vrbibus lectissimorum adolescentum Seminaria, ad quæ, post emissa cœlo vota, florem iuuentutis transmitti iussisti, vt omnibus pro captu disciplinis imbuerentur. Loquatur instauratum penè à fundamentis Castrinoui Collegium, exaggeratique in maiorem laxitatem parietes, non depromptis à religionis erario pecunijs, sed fusis pretioso labore sudoribus: vt cuius olim familiæ filius extiteras, eiusdem

te quoque ostenderes esse patrem. Quid proferam de æstuanti in Deum pietate, qua torrebatur; quid de eximio in Diuos cultu; cuius satagebat? Quantùm ille laborauit per P. Nicolaum Cae. Cremonensem Procuratorem ordinis, solertissimum hominem, in Romana curia versatissimum, viris principibus vnice carum, vt Beatus Philippus Benitius, quintus eiusdem sodalitij præsul integerrimus, in albo sanctorum describeretur? Extruxit ille in monte Senario ædiculam, qua fons ille ad testandam Philippi sanctimoniam ad hæc vsque tempora erumpens, nobiliori pomærio sepiretur. In hæc se antra recipere cupiebat Henricus; ad confragosas hasce rupes, tamquam ad suos elysios, conuolare flagrabat, vt vacuum ab omnibus curis animum assiduæ rerum cœlestium contemplationi posset adijcere, & asperrimis emaciatum corpus obdurare ieiunijs. Siste, quid animo moliris Henrice? quid solitudinem anhelas, qui semper viuis in solitudinem, licet numquam minùs solus, quàm cùm solus? non satis membra studijs delassasti, vt velis duriori te exilio mulctare? Ostracismi te lege virum cæteris præpollentem obstringis? non perlustrasti magnis itineribus prouincias ordinis vniuersas, nisi studeas te denuò in lustra montium inferre? Nimirum sic agrestes Curij, sic veteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabritij, cum induciæ bella suspenderent; inter aratra viuebant; & ne virtus quiete languesceret, depositis Capitolini Iouis in gremio laureis, triumphales viri rusticabantur. Sed

heu

heu nos miseros? Vbi enim ad præruptas montis Senarij latebras decernis adrepere, te Deus ad vernantia cœli tempe, ad amœna paradisi vireta sustolit. Ægrotauit, Auditores, Henricus, tuberculo in manu dextera tumescente, quod posteà venenato humore per totum brachium serpens, & sub axillam congesta sanie recrudescens, complorantibus præ acerbo dolore vniuersis, enecauit. Portendebat illud tuber, mutilandum à religionis corpore brachium firmissimum, cuius robore præstantissima congregationis munera patrabantur, Deseuiebat huiusmodi morbus ad cordis, vsque fibras; quia Patrum deliciæ, sapientum amor, religionis corculum, vno verbo, Henricus debebat extingui.

Iam verò quibus vos ego verbis reficiam, Patres, quibus ego soler insolabili dolore consternatos? Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignauo questu; sed quæ voluerit, meminisse; quæ mandauerit, exequi. Repetite animo, qua constantis animi fortitudine, suam dicamne, an vestram? ipse calamitatem sustineret, dum ægritudine dirissima conflictatus, neruorum contorsione factus dolorum antistes, ideò tantùm viuere se putabat, quia doloribus angeretur, nisi fortè in Angeroniæ gremio, obstetricante patientia, doloris filius quotidie adolescebat. Colluctatus est strenuissimè plurium interuallo mensium, non tam in arena, quàm cinere; cum morbo grauissimo, ac in lectulo, tamquàm in theatro virtutis, Antæi fabulam æmulatus, in

ipsa deiectione surgebat, vt meritò diuturna luctatione vulneratus doleret in bracio. Refricate memoriam postulatæ à circumlugentibus veniæ, recolite, quo animi ardore requisita Ecclesiæ Sacramenta susceperit, reuocate in mentem saluberrima vobis relicta consilia, ad humilitatem, ad paupertatem, ad maiorem profectum hortamenta perpendite, non vobis ereptum, sed cœlo collocatum Henricum putate. Habetis Elisæum Mazzonium quem ad eiusdem fastigium honoris primùm in interregno non tam admirandæ merita virtutis, quàm ipsæ vestri sodalitiæ leges euexerunt, quasi præconcepta anticipatione diuinantes suæ familiæ maiores stemmati gentilitio programma suffixerint: IN LEGE DOMINI. Etenim cùm totius ordinis procurator generalis legum instituti propugnator acerrimus, nihil de constitutionum robore detrahi summoperè cuperet, à summo Pontifice, non sibi demandari, quod poterat, sed Elisæo deferri prouinciam, quam eius merita deposcebant, enixè contendit. Et sanè si erepto per currum ignitum Elia, pallium illius in Elisæum cecidit; cui tantæ pallium dignitatis deferri conuenerat, nisi Elisæo, in quo spiritu Henrici duplex efferuescit? In hoc igitur vestrum solamini dolorem; in hoc vestras detergite lacrymas: vno vobis sublato, alterum non deficere gloriamini.

In parentalibus Illuſtriſs. & Excellentiſs. Principis MICHAELIS PERETTI EPICEDIVM.

Habitum Romæ in templo ſancti Ioannis à Pinu.

Anno Domini M.DC. XXXI.

ITa ne igitur ad hoc me officium fortuna detruſit, vt alienas ſemper calamitates, querula veluti præfica deplorarem? Ita ne ſuggeſtum Romæ nunquam aſcendero, quin, atratis coram auditoribus, mortuorum epicedia decantem? Meis igitur ſic erit in fatis, vt occidentem continuò ſolem venerari compellar? Erit mihi locus iſte pro orcheſtra, vnde tragici euentus cataſtropham lugubri cothurno condoleam? Igitur ſidus illud faſciæ Perettinæ, quod non tam gentilitios montes, quàm Romanos colles propitio lumine colluſtrabat, funeſtum mihi vertetur in cometem? Terni illi, æternique montes vicem ſubibunt Caucaſi, ad quem nouus ipſe Prometheus excrucier? Damnabor ego ad Perettinos montes, quaſi ad Latomias, vt ibi ſepulchrum orationis ſcalpro defodiam? Satis heu ſatis nimium Italia ſuis cladibus inexplebilem mortis ingluuiem ſaginaſſe deberet; ſatis in Inſubriæ theatro ſanguinis, & cadauerum expoſuit inſaturabilis peſtilen-

tiæ, ac ferri libido; Romanam hanc vrbem, amorem orbis, ac mundi cordulum mors iniqua vulnerare non debuit. Vnus erat, vnus supra ceteros MICHAEL PERETTVS gloriosi nominis Princeps, qui egentium turbam auidæ morti, profusis opibus subducebat, istum, quò efferatius debaccharetur, prosternere voluit, vt in vnius vitas plurium improba falce resecaret. Sed quoniam mors æqualis est omnibus solumque obliuione apud posteros, vel gloria distinguitur, immortalem memoria nominis, facinorumque præstantia contendam esse Michaelem, qui in omnem ordinem tot beneficia congessit, tot virtutis eximiæ monumenta seræ posteritati consignauit.

Et verò non ego exordiar ab ouo infantilis ætatis crepundia relegendo; non adolescentiæ florem longinquo sermone delibabo, neque enim heroem aliquem Apinæ, & Tricæ constituunt, ingentesque animæ in suarum numero laudum recenseri despiciunt, quod in teneris annis vel gladium cum Achille arripuerint, vel in arundine longa cum regum filijs equitarint. Non relicta à maioribus i lius, ad vrbis amplitudinem regalis planè animi trophæa indigitabo; non enim fas est, Romæ aliquem in locum oculos intorquere, quin nostris occurrant obtutibus Sixti Quinti, Pontificis Illius verè Maximi beneficia, erectæ pyramides corrodente vetustate diffractæ, columnæ locis pristinis restitutæ, templa insanæ molis excitata, palatia cœlum ferientia, xenodochia diuiti censu dotata, bibliothecæ ad Ptolemæi

maxi inuidiam libris innumeris locupletatæ, aquæductus vberi venarum collectione, sinuoso tractu, in vrbem perducti; vt Sixto sedente verius, quàm Tito imperante, redditam sibi Romam enuntiare possimus; possit ille Augusto meliùs gloriari, vrbem non restaurasse, sed instaurasse, lateritiam reperisse, reliquisse marmoream. Septem Roma vetus ad cęlum colles erigebat, Sixtus montem suum ceteros supra montes assurgere voluit, dum Vaticani templi testudinem intulit nubibus, ac cœlo proximam, in terrenum veluti cęlum arcuauit. Loquitur satis æneo pectore statua illa ærea Sixto adhuc viuenti in Capitolio collocata, vbi illum Senatus populusque Romanus ob quietem publicam, compressa sicariorum, exulumque licentia, restitutam, annonæ inopiam subleuatam, vrbem ædificijs, vijs, aquæductu illustratam, præclaro sanè elogio LIBERTATIS ASSERTOREM appellat. Loquitur Cardinalem Montaltum D. Andreæ templum à D. Petri templo secundum, loquuntur puerorum, viduarum, opificum turmæ per vrbem palantes, loquitur Roma tota aurei sæculi reparatorem, dum arescentem pauperiem aurea pluuia refecit, virginitatis flores aureo rore seruauit, labantes familias aureo scipione sustinuit, carcerum vectes aurea lima dissecuit, fluctuantes animos aureis anchoris obfirmauit, seminudos omnes aureo vellere conuestiuit. Neque ego silere possum Andream ex eodem stemmate Cardinalem, qui suscepta à Clemente VIII. purpura, eodem exarsit studio pietatis, piorum locorum pa-

tronus, toti cariæ vnicè carus congregationis nostræ amantiſſimus, quem vtinam mors inuida tam immaturè non rapuiſſet? haberemus haud dubiè ſingulare aliquod amoris præcipui monumentum. Ad Michaelem flecto Romæ vniuerſæ hiſce diebus ereptum, vt in illius laudibus triumphet, an lugeat oratio? Lugere profectò deberem in atrati proſcenio templi, in pullatis omnium ferè veſtibus, in lugubri cenotaphij apparatu, vbi cerei lucentes non tam ardore flammarum, quàm doloris teneritudine colliqueſcunt. Sed illorum ploretur interitus, quorum vita ſine laude pertranſijt; ad lætiora officia me prouocant iſta lumina, quæ non ardent, vt egregij Principis parentalibus illuceant, ſed vt meliores vitæ diem, facibus cumulatis, accendant. Quo loco non opus habeo, anteactam vitam prolixa oratione retexere; nemo enim ignorat, quàm ſanctè primam illam ætatem obierit, qualiter ſacris rebus addictus probitatis inſtitutum coluerit; quàm ardenti in Virginem, cęliteſque alios religione flagrauerit. Vnum Herculem Gallia celebrat in biuio prudentem; vnum Vlyſſem Græcia prædicat, aures ſirenum cantionibus oppilantem; vnum producere poterit Roma Michaelem, in lubrica ætate conſtantem. Ad illa digredior, cum ſub Vrbano VII. primum, mox ſub Gregorio XIV. Eccleſiaſticæ militiæ generalis ducis perſonam egregia virtute ſuſtinuit, vt Scipionis ad inſtar Africani, non militem ſe à matre iactare poſſet eſſe progenitum, ſed imperatorem. Exultare po-

rerat,

terat, & tanto sub duce triumphare Romana militia, quidni enim irruentes barbarorum copias quocumque in articulo profligasset, quę Michaelem habebat imperatorem, Dei scilicet fortitudinem? Quid formidasset exercitus iste, licet è ceruorum grege stipatus, inimicorum acies ferro munitas, & odio; sub Perettino Leone? Quidni per inuias, & obseptas cautibus vias irrupissent Romanæ legiones, quibus non aquila præcedebat aurea, sed sidus aureum prælucebat? Si Ecclesia, ciuitas est supra montem posita, ad quam excindendam adrepere non possint fumigantes inferorum centuriæ, quo collocabatur securiùs in monte, quàm in Montalti montibus inconcussis? Gauisa est vniuersa Flaminia; cum renuntiatum exercitus imperatorem Michaelem accepit; introspexit enim erectum illius ad gloriosa quæque facinora animum, cognouit indolem planè Romanam, quæ sciret agere, & pati fortia, antiquum in illo Cæsarem reuixisse putabat, cuius virtuti bellicæ fortunam ipsam cessisse perhibent, quòd eam redderet, in qualibet alea, pro sui voluntate propitiam. Quid cum à Paulo V. equitatus generalis præfectus eligitur, vt quæcumque calamitas ingrueret, eximia celeritate compesceret, chimæramque omnem discordiarum, suis equitum alis, nouus quasi Bellerophontes, confoderet, iugularet? Quid cum Flandriam, Germaniam, Angliam, aliasque regiones ingenti seruorum comitatu lustrauit, principumque animos arctissima sui beneuolentia deuinxit, annè

ſibi gloriam Vlyſſis vendicaret poterat;

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes?

Quid de profuſa tanti Principis munificentia memorem, qui plures terrarum orbes non ſubigendi, ſed largiendi deſiderio complexus, ſuæ facultati fines, non liberalitati potuit inuenire? Quotieſcumque pauperem in itinere Michael offendiſſet.

Præceps illa manus fluuios ſuperabat Iberos

Aurea dona vomens,

vt Artaxerſe melius, non longam ob manum Longimanus, ſed liberalem ob largitionem Largimanus, celebri poſſet agnomine, nuncupari. Quoties viſus eſt, inter libellos ſupplices lectitandos, vel audiendos, ad egenorum indigentiam, & vultu, & voce, & lacrymis commoueri, perinde ac Chriſtum illorum habitu perſonatum aſpiceret? Quæ religioſorum cœnobia, quæ monialium conclauia, quę puellarum aſceteria in hac vrbe numerantur, quibus ab inopia ſubleuandis, ſummam non Michael opem, non operam collocarit? Nomenti, in oppido illo Perettinæ ditionis, Patribus religioſiſſimis, quos Capuccinos appellant, laxum vaſtè Collegium à fundamentis erexit, Eccleſiam ſacra ſupellectili locupletauit, diuinum in ea cultum omni auxilio promouit. Sed quamdiu aliunde Perettinæ pietatis argumenta deriuo? Vos appello huius ſodalitij moderatores, vos beneficam huius Principis prolixitatem edicite, quàm ſępè, corrogatis pecunijs, veſtrum fouebat inſtitutum, quàm frequenter viros

ęre

ęre alieno obstrictos, dilapidatis opibus eximebat è carcere? Nimirũ nouerat, Tarpeiam olim arcẽ Sabinis inuadentibus auro congesto, patuisse; nouerat, nullum adeò munitum reperiri locum, quẽ auro onustus asellus non aperiret. Ibitis, ò captiui, non ferreis amplius compedibus irretiti, sed aureis catenis impliciti, ex vna captiuitate in alium carcerem, sed amoris, Michael, dum æs persoluit alienũ, vestrã oppignerat seruitutem. Animis è purgatorio igne suscipiendis, vnum Deus Michaelem præposuit; corporibus è cruciaria custodia subducendis, Michaelem alterum pietas Romana præfecit. Percurrite vos regiam externi oris maiestatem grata cũ hilaritate cõiunctam, non enim ille frontis lumen amabile Stoica superciliorum nube tenebrabat, non arridentis fortunæ vento distentus intumescebat, Thrasonum more, sed Leonem gentilitium vnguibus pyra tenentẽ, veri Principis symbolum imitabatur, vt maiestatẽ leonis, & pyri dulcedinem copularet. Stultitiam patiũtur opes, cecinit ille, pluresque diuitiarum typho sic insolescunt, vt in Iouem ipsũ armare manus, ac instar gygantum deturbare de solio velle videantur; montes enim vanarũ cogitationum aggestu surgente, in nubes conuectant, ac de spolio cęli meditari creduntur: Michael Perettus, cũ tanta summorum Pontificum gratia floreret, cum tot redditus in proprio lare censeret, cum primas in Ecclesiastico Imperio prouincias obtinuisset, adoratus à ciuibus amatus à regibus dilectus imperatoribus, ita in sua se pelle continuit, vt nunquam illum populi plausus è statu men-

tis eiecerit, regum amor inflauerit, imperatorum dilectio dementarit. Oderat ille summopere veteratores, nationem comœdam, græculos esurientes, quos Palatij tineas Constātinus, opum vernes Anaxilaus, canes regios Diogenes, amicos Ixionicos Heliogabalus appellabat; pati non poterat, ore mellito suis illos auribus ablādiri, ac veluti curiæ Protheos quamlibet personam induere; nesciebat Michael cordis, & linguæ dissidium, cum ipsius cor satis abundè loqueretur, vel tacentis in vultu. Sed quorsum ego tot laudet congero, vt conceptus animo dolor, vulnerum veluti refricatione, recrudescat? Decessisti, Princeps Excellentissime, eo planè morbo, quò Sixtus auunculus; ille totum in capite morbum latitare conquerebatur, te in summa capitis parte desæuiens ægritudo confecit, tunc Romanæ caput Ecclesiæ deperijt; nunc Romanorum caput nobilium è viuis excessit. Aquosus ille humor tuo è cranio diffusus nostras ominatus est lacrymas, perenni riuulo duraturas. Lugebunt ciues ereptas sibi Romæ delicias, plorabunt virgines nouissimo auxilio destitutæ, eiulabunt pueri ablatum sibi parentem, cuius in altis montibus fundamenta locauerant. Sed abstergamus ab oculis lacrymas, neque enim mala mors putanda est, quam bona vita præcessit. Fruere Michael, quas adiuisti, vt piè credimus, post exhomologesim, sacramque synaxim paradisi delicijs; ad cœlestem enim prædam ascendens, sicuti leo, apertis gloriæ oculis animi, accubuisti, & occubisti.

Dicebam,

IN

In Funere
AVGVSTINI SPINOLÆ
In Collegio Clementino Conuictoris.

MODONIA.

Dicta in eodem Collegio anno Domini *M. DC. XXIX.*

O Nunquam satis diuturnas generis humani delicias? ò vitam solstitiali citiùs herba pereuntem? ò citatissimum mortalis vitę curriculum? In ipso igitur annorum vere, rosa siccabitur adolescentiæ? In ipso virentis ætatis initio, flos adolescentum arescet? Igitur dum plures ab ortu sibi pollicetur annorum decursus, ab occasum repentè vita properabit? Mirabar Augustine, tàm precocem mentis aciem, tàm lynceum ad obscura quæque mirabar ingenium, calamitatemque heu quàm acerbam, mecum ipse verebar; imò citò periturū te suspicabar, nisi citò nimis perijsses. Scilicet quæ arbores, luxuriantium pompa ramorum pręmaturè adolescunt, tardis nequeunt vmbram explicare nepotibus: ita cū tui dotes ingenij se speciosiùs in adolescentiæ virore proferrent, lugere possumus, non mirari, præpropera te morte collapsum. Verùm illud dolorem leuare nostrum potest, Sodales optimi, quòd si adolescentem virtutibus addictum amisimus,

mus,

mas, virtutes illius, quas imitetur, non exciderunt. Et sanè dum Augustini primam educationem mente perlustro, succurrit animo, non illum, quamuis patririo è genere, in thalamis, aut gynecæo puellarum, non adipe, non auium pulpamentis molliter fuisse nutritum, sed more Spartano sub sanctissima disciplina, ad virtutes tùm corporis, tùm animi capessendas institutum. Non matres illæ sunt, sed nouercæ, quæ liberos, quasi Sardapali posteritatem, enutriunt, masculorumque vigorem voluptatibus frangunt, antiqua Medea ferociores, dum puerorum corpori, deliciarum luxu blandientes, animum nimia mollitie trucidant. Parentem Augustinus habuit matronam lectissimam, adhuc superstitem, quæ Corneliæ Gracchorum matris æmula, gemmas suas, non in scrinijs ostendit, sed in filijs, tunc existimans, in publicum prodire se posse eleganter ornatam, cum aureos potest mores sibi adscibere liberorum. Quis verò referre valeat illam indolem, qua non tàm à natura formatus, quàm conformatus educatione, ad induendam quadrati hominis imaginem, cereus Augustini animus flectebatur, nisi vos ipsi adolescentes mœstissimi, qui fuistis, vt in conuictu sodales, ita virtutis æmulatores? Duo in Clementino Collegio gymnasia frequentauit, & humaniorum literarum, & literarum reginæ eloquentiæ: in istis quàm versatilli ingenio singula perlustrauit, quàm auida mente doctrinam omnem absorbuit, quàm ardenti studio dicendi canones deuorauit? In humanioribus literis, tanto cum fœnore benè collocati laboris, annum impendit

inte-

integrum, vt propositum quodlibet argumentum, Apolline non inuito, statim numeris illigaret, aut copiosa solueret oratione. Rethoricam ille deperibat, cuius adipiscendæ tanto studio flagrabat, vt cum iam totum eloquentiæ stadium strenuè, percurrisset, & lauream minimè ingloriam in vmbratili puluere comparasset, denuò tamen in eadem voluerit arena desudare, præstantiores palmas, iterato certamine, non tyro, sed veteranus referre, Ridebat illos, qui grammaticæ rudimenta præteruecti in dialectice syrtes impingunt, aut iurisprudentiæ gymnasia perrumpunt; saniori ille consilio, duos annos oratoriæ statuit facultati reponere, vt donum illud, quò distinguimur à psittacis acquireret, benedicere. Nouerat egregius adolescens, eloquentię spatia non angusto limite circumscribi, sed interminatis finibus in immensum excurrere; nouerat, antesignanum rhetorum Ciceronem, in Romano foro dominum comitiorum, Asiam nihilominus peragrasse vniuersam, & sub eximijs dicendi magistris annos quamplurimos deuouisse, tandem Apollonio oratori se tradidisse, vt ipse loquitur, recoquendum. Quo in studio quantum promouerit Augustinus testes appello vos eloquentiæ candidatos, qui ingenium illius fœtum semper nouis rebus, nunquam effœtum admirabamini, testes prouoco domesticos vestri gymnasij parietes qui in menstruis de re poetica disputationibus illius voce personuerunt; testes nuncupo huius Athenæi vastitatem, angustum illius virtuti theatrum, vbi purpuratis coram Patribus, & amplissimis

au-

auditoribus, in clarissima Romanorum principum panegyri sæpissimè perorauit. Nimirùm tàm diuitem dicendi supellectilem sibi comparauerat Augustinus, vt quæcumque res incideret, de illa copiosum, non ablegatis eloquentiæ veneribus, sermonem contexeret, vt nullum à gymnasij moderatorem sibi præfiniri argumentum postularet, cum ipse sibi sufficeret, ipse sibi satis vberem rerum segetẽ in horreo memoriæ collegisset. Quid de proprij honoris æstimatione proferam qui si aliquando gymnasticam alijs fortè curis implicitus lucubrationem non persoluisset, anxius, citato gradu, antè discipulos præcurrebat ad præceptorem, illud exinè contendens, nè sibi, in publica gymnasij frequentia, mulctam velet irrogare, se postero die necessariam culpam acriori studio pensaturum? Quid quòd nunquam, nisi, obtenta à moderatore facultate, ludo abstinebat, nunquàm diebus pro festis domo egrediebatur, nisi prius ab eodem Institutore, exposita causa dimitteretur? Nolebat enim Augustinus, vllam maioribus molestiam afferre, quinimò cum socijs ità se mitem exibuit, vt licèt à clarissima Spinolarum gente natalia cognosceret, licèt eximijs prępolleret diuitijs, licèt præstanti mentis acumine donatus esset, nunquàm tamen in fortuna sic arridente intumuerit, nunquàm fastosas cristas erexerit, sed æquabilem semper in omni euentu rationem vitæ seruauit. Sed tua me pietas vocat, Augustine, quæ erga Deum, erga beatissimam Virginem rapiebaris, cum huius, vt loquuntur, officium singulis diebus summo cum animi

sensu

ſenſu recitares, cum ſtatas preces in genua prouolutus effunderes, cum delicatum alioqui corpus indicto ieiunio conflictares. Solemne eſt noſtri Collegij adoleſcentibus, ſingulis Saturni diebus, cuſtodire ieiunium, niſi fortè maiorum conſilio, vel ita ferente temporum conditione, legis conſuetudo vertatur. Auguſtinus nunquam ab incepto inediç inſtituto dimoueri potuit, & licèt alijs interdum in hebdomade diebus temperaret à cibis ſabbatho nihilominus, reperito rurſus ieiunio, vires atterebat, nouaque frugalitate corpus emaciabat. In ipſis Beatæ Virginis peruigilijs ſeueriorem ſibi victum definiens, panem ſolummodò, & vinum ad reficiendas quoquomodo delaſſatas literarum ſtudio vires adhibebat, optimè intelligent, tunc animum delicijs depaſcitu cœleſtibus, cum terrenas dapes venter incipit eſurire. Intueor ſingularem Auguſtini pietatem, dum ſacram hanc Beatæ Virginis aram intueor, quam ipſe liberali profuſione columnis ornauit, quas auro induſtrij artificis opera, dimidiatis cum Cæſare Areſio Mediolanenſi patritio ſumptibus, iuſſit elegantiſſimè obduci: non vt ſuæ terminum pietati figeret, ſed vt ſuum erga cœli reginam, obſequium columnarum teſtimonio, migraturus è vita confirmaret. Sed maiora me mouent in tàm præclaro facinore, ſcilicet ſtemmata illa gentilitia, quæ columnarum epiſtilijs intercepta cernuntur, inuito fuiſſe Auguſtino ſuffixa, cum Beatiſſimæ imaginem Virginis, ad omnem inanis gloriæ auram euentilandam, cupiuiſſet apponi. Quid de ſolertia in

ani-

animo à vitijs eluendo prosequar Auditores? bis in mense, singulis quindecim diebus exactis, cœlesti se pabulo, ac sacris epulis reficiebat; octauo quoque die exhomologesi peccatorum maculas abstergebat, ne vnquam teterrimi hostis tyrannidi vllum in corde aditum aperiret. Proh quantis fluctuantis conscientiæ stimulis vexabatur, quàm acerbos experiebatur carnifices illos implicatæ mentis aculeos, quos scrupulos vocamus, vt illis agitatus diurna, nocturnaque luctatione perculsu nulli rei posset animum huiusmodi perturbationibus obsessum adijcere. Statuerat Augustinus vniuersas vitæ transactæ culpas solemni expiatione delere; statuerat Somaschensis ordinis habitum, vbi primùm licuisset, induere, cum repentino præuentus interitu, è viuis ereptus ordini adscribitur angelorum. Illud vsurpare solebat frequentiùs, se veluti piscem esse, qui per liquidas aquarum semitas irrequieto motu discurrens, in extensa tandem retia defessus illabitur, cum ipse quoque supernis sæpè iactatus commotionibus, humanas per curas cogitabundus erraret, tandem vastissimo Religionis ambitu deberet intercipi. Diuinasti, Augustine, sed heu quàm infausto euentu; non enim viuus Religionis rete perueudis, sed mortuus in Patrum societatem deueheris, non in claustra, sed in sepulchrum: Sed me miserum, quo impegit oratio, vt dum per tuas laudes lætabunda vagatur, ad lapidem tui sepulchri collisa subsisteret? In quo tibi fui iniurius, vt de amico præficam agere me compelleres? Cur hoc tempore, quo tempore ad comœdias Satur-

turnalia nos prouocant, ad tragœdias tuis nos parentalibus excitasti? Sed doleant alij, & eam fortunam à suo capite auertant, vt subitario exitu præripiantur è viuis; ego ex hoc maximè titulo cęlo acceptum fuisse Augustinum deprædicabo, quòd suscepta hesternis diebus plenissima culparum omnium expiatione, cum thermas illas Diocletianas, modò D. Mariæ Angelorum templum vastissimum, non profanis aquis, sed lacrymarum imbre perfudisset; cum ædem S. Mariæ Maioris ad niues niueo candore precabundus inuisisset, integer, in suo sensu occubuerit. Sempiternum venerabatur numen Iulianus Imperator, moriens ex vulnere quòd non longa morborum asperitate, vel delicatorum fine decederet, sed in medio cursu florentium gloriarum subitum meruisset è medio digressum: summam vitæ fælicitatem in repentino interitu Plinius reposuit; vt etiam finem vitæ commodissimum in quadam cœna inopinatum, celeremque magnus ille diactor edixit, cum magnę heroum animæ non detrudantur in corpora, velut in carcerem, sed ad egregia facinora membris exceptæ statim euolent, cum libuerit. Non igitur Augustinus cum doloribus diuturno est tempore luctatus, non ingrauescente languore, viribus paulatim destitutus, non longo febris pestilentis agone conflictatus, sed quieto, sed tranquillo vultu suspirauit potius, quàm expirauit. Cor sibi tantummodò sentiebat obsideri, viscera premi dolebat interiùs, fortasse, quia nostra corda dolore torquenda acerbissimo prętimebat. An potiùs cum spinis dolorum in vita

carue-

caruerit Augustinus Spinola, rosa Collegij, spinas in morte voluit experiri, cum rosæ quoque in ariditate languentes, & ramusculis spoliatæ spinis acrioribus obuallentur? Non ausa est mors præmissis, vt solet, nuntijs Augustinum inuadere, sed fraudolenta vafritie, clandestinis insidijs, non falce, sed telo, non aureo, sed ferreo cor illius terebrauit, vt meritò doleret in corde. Proficiscere, Augustine, ab illa Virgine exceptus, quam semper animo coluisti, nosque tuo mœrentes interitu, de cœlorum specula contuere; septimus eris Clementini Collegij cœlo additum sidus. Interim cebrò subeat vobis in mentem, Sodales optimi, natiuitatis exordia non rarò fines esse nascentium, & in hoc vitæ stadio, qui certant, præcipitare, non currere; inter metam, & carceres interdùm vix passum diuidere, vtramque extremitatem eodem pede contingi & quæ inducit, & quæ educit.

Dicebam.

BRAS-

BRASSICÆ ELOGIVM.

Habitu Romæ in Claſſe Rhetoricæ Collegij Clementini.

PLacuit aliquandò nonnullis elapſi temporis oratoribus in tenui diligenter opere laborare, vel vt verſatilis aucuprentur famam ingenij, vel vt animum grauioribus delaſſatum curis, dum feſtiuis argumentis incumberent, ſtudioſo velut otio recrearent. Columbam carminibus Aruntius Stella defleuit, extulit laudibus publicem Calcagninus, culicem Virgilius, muſcam Lucianus, locuſtas Iodochus, lutum Maioragius, ebrietatem Tornerus, caluitium Synneſius, ignorantiam noſter Rugerius, neminem Huttenus, vmbram Ianus Douſa, ipſum nihil Ammonius. Horum ego quoque ſecutus exemplar, Auditores, vt maiorum auſpicijs adoleſcerem, in eam ſum mentem adductus, vt Braſſicam nobilem adeò plantam commendatione proſequerer, non vt aliorum parem labori famam venarer, ſed potiùs vt ſpecimen aliquod ſtudioſi conatus, in vmbra Rhetoricæ palęſtræ præferrem. Scio, male recoctam me crambem delicato veſtro palato allaturum, dum de Braſſica dicere inſtituo; nihilominus, quoniam cineralibus hiſce ferijs noſtra ieiunia teneriores cauliculi ſubleuant, illorum laudes facili vos aure ſuſcepturos exiſtimaui;

quia quibus corpus depascitur, illorum recordatione animus plerumque delectatur.

Tanta igitur est Brassicę dignitas, ac præstantia, vt seueriores Philosophi illius præconia celebrare voluerint, Chrysippus medicus integrum Brassicæ volumen sacrarit, Pythagoras discipulis commendarit, Cato encomium deuouerit, Plinius pluribus sit prosecutus. Etenim pennes Brassicam stat principatus hortorum, gloria herbarum, geneæ decus, est illa minorum regina olearum, anni delicium, Apicij luxuria, mensarum Helena, cœnarum lautitia, terræ corculum. Videbitis in agro subacto Tritianum caulem firmo surgentem in caudice, luxurianti proceritate se tollere, corpore in orbem porrecto, in latitudinem toroso, crispa folia in scutum arcuata sibi stipantem, rorem de sudo cœlo sorbentem, ac liquentibus veluti margaritis, gemmatum, quid iucundius? Videbitis Pompeianum stolone tenui suffultum, resupina per gyrum folia reflectere, medioque sinu flauentes flores, ac teretes exporrigere; Brutianum scapo fluctuantem infirmo, folijs explicatis expandi, ac subnascentibus fruticare protomis; Sabellicum, corrugatis hyberno frigore folijs, candidas niues in orbe denso recondere: Cumanum sessili folio, capite patulo; Appiacum generoso thyrso sublatum; quid pulchrius? Fuerint olim in cibum Atheniensium ficus, Arcadum glandes, Argæorum pyra, Indorum calami; Mœotijs millium placuerit, Persis cardamum, Lotophagis lotos, hircus Lusitanis,

tanis, locustæ Parthis, elephanti Nomadibus, pantheræ Aghriopagis, Brassicarum suauitate nostra fruetur Italia. Brassica tota anno seritur, toto anno secatur, omni sole congaudet, omni solo succrescit: non timet æstuantis incendia Sirij, non deseuientis hyemis asperitatem, non aquilonum turbines perfurentium, non ingruentium tempestatum inclementiam reformidat. Decidant conglobato agmine aggeratæ de cœlo niues, non tàm onerabunt Brassicam, quàm ornabunt; exundent è grauidis nubibus procelloso nimbo pluuiæ, non obruent, sed abluent, arescat tellus, & hiante planitie soluatur, adhuc firmo viridis perstabit in caudice. Scilicet rerum parens natura sic imperauit, vt quæ planta communi hominum saluti deseruire debebat, omnes etiam temporum iniurias eluderet, declinaret calamitates. Prolixum foret percurrere, nedum recensere, quas humano generi conferat Brassica vtilitates; permittite, vt aliquas, velut prætereundo à naturalis historiæ monumentis excerptas depromam. Laborauit aliquis dolore capitis acerbissimo in humeros torquere nequibit oculos, decidet facies, mœror irrepet, frons obstupescent, tempora vtrinque pulsantibus ferienur aculeis, caput ferrea velut cadisse grauabitur; si crudos cauliculos paulisper dentibus atterat, ægritudo discutietur, torpor abscedet, animus hilarescet. Ita Cato pronuntiat. Vexabit alterum intestinorum exulceratio, & aluo soluta sanguinem egeret, si recoctam cum sale crambem comedat, pristina salus reuocabitur.

tur. Ita fidem adstruit Hippocrates, Decumbet alius iam iam funeri proximus; quod venenum ab esu boletorum contraxerit, turgescet corpus, spumabit lingua, nigrescet aspectus; si expressum à Brassica succum ebiberit, securus exiliet. Ita spondet Apollodorus. Latrabit molossus aliquis in viatorem, ringet dentibus, assultabit, inuadet, mordebit, si vulneri Brassicæ folium admouerat, conualescet; Ita profitetur Epicharmur. Cicatrices ad planum redigit, audientium traditati proficit, lactis aggregat vbertatem, quicquid serpit in corpore, læuigat, serpentum ictibus medetur, ita Plinius asseuerat; nihil esse stomacho, ac neruis vtilius Erasistrati schola proclamat. Quid? quod ipsi puerperis vteri dolore correptis Brassicam dedere comedendam Athenienses, vt partus maternis è claustris faciliùs effunderent? Cur Lucinam veteres coluistis, ferendis in lucem filijs, antistitam, cur inanem Deorum populum, & commentitia numina delirastis, quando potest crambe, insita sibi facultate, nasciutos fętus angustis è visceribus emittere? Meritò, sacram existimarunt antiquitus Brassicam, iure μαντὶν, hoc est, diuinam Nicander appellauit, quod vim quandam diuinitatis in se continere videatur, ac singularem præ ceteris oleribus, humano generi conferre medicinam. Riderent ista Machaones, nisi tabulas, & folia sybillæ producerem, dum constantissimè enuntio, Varronem, virum illum à Quintiliano Romanorum omnium eruditissimum, à D. Augustino literatorum doctissimum nuncupatū, quo

quo tempore Romanam per vrbem pestilentia plurimorum interitu grassabatur, tutam ab omni epidemiæ tabe familiam sola Brassica præstitisse. Sed habeo prodigia Brassicæ maiora, quæ proferam: Populus Romanus sexcentos per annos non aliam, quàm Brassicarum medicinam adhibuit. O morborum omnium Mithridaticum; O deficientis naturæ Amuletum; O veneni cuiuscumque per intestina serpentis Alexipharmacum. Valete pharmacopolæ, qui argentea in pixide varia liquorum genera tumultuario miscetis; valete, qui dulcoribus vestris amarè nimirum vitam hominum nundinamini; valete Æsculapij nepotes, genus Apollinis, febrium exturbatores, carò nimis vestris in herbulis nostra salus stat. Nos miseri, qui regiones Indicas tanto cum impendio depopulamur, qui à plantis Arabicis guttas nè an lacrymas extorquemus, qui vndequaque producendæ vitæ remedia conquirimus, & morbos non tàm curamus, quàm creamus: quid prodegisse iuuat in gentem nummorum copiam, quid auro arcas exenterasse reposito, vt leue remedium promamus ab officinis, si sola Brassica longæuam possumus senectam traducere, grauesq; corporis valetudinis declinare? Fuit olim illa pacatissimæ simbolum fęlicitatis, perpetuæque lætitiæ; vnde cum interturbatam alicuius impudentia voluptatem vellent exprimere, crambem duos inter vitium surculos adsitam appingebant; tanta enim inter se odia vitis, & caulis exercent, vt cum illa cæteras plantas, clauiculis suis, quasi manibus amplectatur, si Brassicas è propinquo sur-

gentes offendat, paulatim se se erigat, & velut ab hoste refugiat, ne vlla parte contingat. Hinc qui nudum cauliculum ederit, vino quamuis largiter hausto tentari non poterit, calor siquidem ebrietatis occursu brassicæ mirabiliter habetatur, & dum cupit, eructante pingues alitus aluo, caput inuadere, superstante in ventriculo brassica detruditur. Quid lepida illa fabella sapientissimi vates innuerunt, Bacchum scilicet irati Lycurgi timore perculsum in mari delituisse, mox clandestina emersione Lycurgum insidijs inuasisse, quem vitæ deuinxerit; illumque de inopinata captiuitate indignantem in lacrymas impatienter erupisse, è quibus Brassica germinarit? Nonne immania has inter plantas ostendere voluere dissidia, nullo vnquam tempore concilianda? Vsque adeò hostilis est enata dissensio, vt morbus ille, qui humano in gutture à medicis vua dicitur, discuti è faucibus opportuno remedio possit, si crudæ brassicæ succus ægrotantis capiti superfundatur. Sed quoniam pallentes olim caules Druso Tyberij Cæsaris filio creauere fastidium, insulsis ego quoque laudibus temperabo, ne quod de magistris satyrographus enunciauit, occidat miseros crambe auditores.

Dicebam.

ASI-

ASINI.

Apologia.

Habita Romæ in Classæ Rhetoricæ Collegij Clementini.

SIngulare naturæ beneficium, extitisse arbitror, Auditores, commendandum frugalitate animal, omnibusque par laboribus, Asinum procreasse, cum in genus humanum innumera ab illo commoda deriuentur, egregiæ virtutis argumenta promantur. Neque verò audax fortasse facinus adolescentis, & de sua nimium nugacitate exultantis sugillate quotquot adestis, humanissimi viri, quòd in honorifico consessu laudibus efferendum protulerim Asinum, illud enim à cordato oratore deposcit eloquentia, vt in extremo versanter discrimine subleuet, inclinantemque periclitantium fortunam facundiæ viribus sustinere contendant. Sed quem fugit hominum, quàm grauibus continuò laboribus succumbere cogatur Asinus, quàm seuis ab vnoquoque verberibus tundatur, quàm parcè depastus delassatam interminatis vectationibus animam trahat? Carpere ne debeam hic ingratorum hominum tyrannidem, qui animanti publicæ vtilitatis curatori ingentem plagarum numerum, loco mercedis impendunt? Perstringam Busiriticam, Lycopoliticam prorsus immanitatem, qui obuios in itinere Asinos autumant

esse dandos è rupe præcipites? Ego sanè, vt tàm efferatam quorundam diritatem æquo non possum animo ferre, ità libenter hominum illi beneuolentiam conciliare conabor vt respirare ab oneribus aliquando valeas plurimorum inuidiæ subductus.

Quod si virtutes, ac vitia promiscuè, appictis brutorum imaginibus, conuelare consueuerunt Ægyptij: vnde versatilem alicuius aciem ad perlustranda scientiarum adyta sub aquilæ specie, magnitudinem animi in leone, docilitatem in elephanto gratitudinem in cane subinferebant; plurimum virtutum catenam, ac propè breuiarium sub Asini hieroglifico insinuasse comperio, & ne videar pueriles fabulas in hoc disciplinarum emporio logodædalus nundinari, percurrite mecum animo vniuersum virtutum orbem, Asinum in primarijs excellere, vestra omnium admiratione, fatebimini. Vultus in ipsa rerum affluentia colere temperantiam? Gestabit ille dorso reparando diuitem domini supellectilem, inspersa delicatissimis condimentis obsonia, suspensas vtrinque falerni vini largenas, prorirantia palatum cupedia, ipse carduorum apices lingua subactos pacissimè delibabit, asperiora carpet arundium folia, turbidam aquam in via decurrentem summis labris sorbillabit. Vultis improbos perenniter labores exatlare? Nullum est onus, quod ille detrectet; pro boue terram proscindit, pro equo sessores vectat, pro elephanto immania pondera sustinet, pristino ducendæ mole deseruit, omni assiduus operi libentissimè famulatur. Vultis effusam in homines bene-

beneficentiam ? Emendicare cupiet aliunde pulchritudinem bucculenta alioquin anicula, cuius oculi sine lumine stygiæ paludis egerunt lacrymas, frons innumeris rugarum sulcis asperatur, genas examinat pallor exanguis, labra plumbeus liuor inflectit, dentes moralibus putrescentibus vitiat odor mephiticus: oblinet ista faciem cerussæ medicamento, fucare studebit emendicatis coloribus, ardulas pigmentorum exhauriet, & semper incassum: si aliquoties, Poppæam Neronis vxorem imitata, Asinino vultum sibi lacte perugat, formosæ nitorem cutis prouocabit. Corripietur alter ægritudine comitiali, & inopinata corporis conuulsione prosternetur solo, corpus tetro colore intumescet, ore spumam ebulliet, exeret oculos penè prodeuntes, cadauer stupenti spirabit in corpore, si Asini iecur inassatum ieiunus comedat, morbi grauissimi calamitatem discutiet. Sed leuiora sunt ista, quàm à me debeant extolli; illud ad se se me rapit, illud vestra maximè aures desiderat præstantissimum Asini inuentum? inuentum, quod omnium meritò sibi voluntates obstringit, summumque humani generis amorem extorquet. Sed cuius inuenti gloriam putatis, Auditores in Asinum me velle refundere? An sagacissimum animal aurum è terræ visceribus euocasse? At sine auro lætos fallebant soles antiqui? An musicos numeros inuexisse? An lyrā despicit, licèt musicum animal. An astrorum peritiam docuisse mortales? At prono in terram capite, defixis humi oculis, graditur. An agriculturam rudibus adhuc hominibus

insinuasse? Omne punctum tulistis, Auditores; Asinus putaudæ viris rationem excogitauit, vberrimam vini copiam aquæ potoribus impartiuit. Expatiabatur Asellus per agrum vitibus consitum, & vt erat diurni laboris defatigatione, vrgenteque fame defessus conspicatus haud procul luxuriantibus pampinis patulam vitem, ad illam succussando festinus, festiuus accurrit, & corroso æquabiliter palmite, amputatis dentium falce ramusculis, vitem folijs denudatam sapienter circumciso reliquit in stipite. Adnotarunt hoc indignati de tanto Asini facinore agricolæ, sed cum denuò aeris clementiam vernum tempus adueheret, plantæque omnes ad cœli temporem oculos aperirent, cępit vitis illa sensim, sine sensu arborescere, ramos in omnem partem expandere plurimos, alijs se virgultis pertinaciter implicare, cadentes vuas alienas ad frondes appendere, ita vt copiosum in autumno vinum rustici expresserint, & ab Asino edocti vitium surculos in posterum amputarint. O verò beneficijs memores Naupliæ ciues, qui incisum in marmore Asinum, ad perennem gratiæ commendationem, in foro collocarunt. Et sanè, Auditores, quo pacto ęmulum illum nectari liquorem hauriremus, terræ sanguinem, fomitem ingenij, tristitiæ solatium, amoris aucupem, equum poetarum, nisi Asinus præbuisset? Profectò dum Æschylus poeta clarissimus nonnisi inter pocula tragœdias exarasse perhibetur, dum Ennius ipse pater ad arma scribenda, non nisi potius prosiluit, dum prisci Catonis sæpè mero caluisse virtus narratur; dum Alcæus, & Aristopha-

nes,

nes, non Hippocrenes aquis, sed spumanti cratere labra proluisse dicuntur, non minus Apolline duce, quàm Asino auspice nominis adepti sunt immortalitatem, cuius liquore, quasi diuino enthusiasmo lymphatici, ad pangenda poemata inflammabantur. Quid mirùm deinde, quòd Asinum veteres magno semper honore coluerint, quòd velut sapientiæ hieroglyphicum erexerint, quòd philosophorum vnus in gymnasium admittere, disciplinis capessendis, voluerit? Loquor Alexandrinum Ammonium, illum Origene, & Porphyrio discipulis celeberrimum, qui Asinum philosophicis imbuendum artibus, cæteros inter auditores adhibuit. Stabat ille arrectis auribus inter discipulos, & rictu in præceptorem conuerso, licèt tardiusculo cerebri acumine difficillimas obscuræ scientiæ quæstiones inaudiebat, præcipua discipuli qualitate commendatus, quòd plurimùm esset auritus. Loquor Cleanthem illum, cuius portentosa studendi perennitas in parœmiam concessit, *vt* opus ingenti elaboratum industria, ad Cleanthis lucernam dicamus euigilatum: iste sub celeberrima Zenonis porticu philosophiæ studijs operam collocans, Asini non erubuit appellationem, sed magistri se gloriabatur sarcinam ferre posse Zenonis. Neque verò miremini, dum Asinum contendo à musis, & gratijs non alienum: quæ enim reperiri potest, vel testudinea mentis tarditas, quàm laboris assiduitas non euincat; quæ vel Bœotica ingenij torpedo, quàm studij vigilantia non excitet, obfirmata discendi constantia non frangat? Equidem vel Hircanas,

vel Hyperboreas feras ad regum delicias fuisse legimus cicuratas, ipsasque intellectus carentes volucres plura didicisse, insano docentis labore, comperimus. Draconem habuit Heraclides philosophus eunti, quiescenti solitum adhærere; leonem exuta sæuitie obtemperantem Carthaginensis Hanno; turdum Agrippina sermones hominum imitantem; sileo coruum matutinis horis, vt Tiberium, Germanicum, Drusum proprio nomine compellaret, in rostra deuolantem; sileo psittacos verba sæpius ad aurem decantata reddentes; sileo vrsos librare salus ad tibiarium cantum edoctos; sileo elephantos per extensum funem, schoenobatarum instar, incedẽtes; quidni poterit Asinus contumaci sedulitate artẽ aliquã comparare? Audistis forsam vel etiam oculis vsurpastis, Auditores, superioribus annis in Agonali foro in hoc ipso Romæ theatro ludos varios summa omnium voluptate exhibentẽ Asellum, modò cum capra, velut amasia choreæ, saltationes varias alternis pedibus edere, modò canem imitando venaticum ad proiectum à domino linteũ celiter accurrere, modò cataphractum equum æmulando, ad buccinæ clangorem, vel hinnire, vel rudere; strenuum se saltem Asinum venditare. Cur olim Marti bellorum præsidi victimas Asinas antiqui litarunt, nisi qui raditu tubæ classicum referat? Cur apud Saraconas, non ad onera comportanda, sed ad bellum gerendum adornatur, nisi quia illo narium fragore bellicos tumultus anteuerat, & inuenti laterum contentione tonare videatur? Cur æneum Asino simulachrum collocauit Augustus, nisi quia sibi

in

in aciem descendenti, hilari succussatione desultans, victoriam de hoste portendit? Cur C. Marius conscensa nauicula deuectus in Africam arma Sullæ victricia delusit, nisi quia Asellum, repudiato pabulo, ad aquam procurrere animaduertit? Refricate memoriam cum Samson inuictus ille Nazaræus ab hostili Philistæorum agmine circumuentus raperetur in vincula, quibus armis mille viros solus absque comite profligauit, nisi Asinina maxilla, quam in itinere offendit? Putatis si stupeus ad omnia, si brutorum ineptissimus esset Asinus, illum inter sidera Iupiter extulisset? Bellum conferebat Iupiter contra gigantem agmina, Pan marinam pulsando concham, terrorem studebat incutere; Neptunus partem Coæ insulæ reuulsam contorserat, Hercules arreptatotis viribus claua proturbare de montibus contendebat, Apollo medicata veneno spicula iaculabatur, Pallas exhibito Gorgonis capite in lapides frustrà commigrare iubebat, Mars ardentibus oculis vno ictu profligare se velle sycophantas istos clamitabat; anceps erat ex vtraque parte belli fortuna, dubio adhuc certamine pugnabatur, cum Silenus Asino vectus ignem naribus exsufflante, suppetias cœlo periclitanti laturus accurrit. Tunc enim vero cœpit Asinus horribili strepitu rudere, acuuntur asinina buccina ad prælium Dij, Deæque, tandem amentato Iouis fulmine, in imam tellurem immania de sublimi regione corpora prouoluuntur: Asinus in extremo discrimine auxiliarius ob opem collatam stellis inseritur. Quid, quod etiam in sacris pagi-

nis illum pari cum hominibus honore dignatus est Deus; nam cum omnia sibi primogenita ad aras postulet immolari, hominem tantùm, & Asinum holocaustis exemit, illum certo pretio, hunc ouicula pecudum omnium innocentissima, redimendum? Quod si non vererer iniuriam inferre clarissimis Auditoribus, Asinum producerem quadringentis plus hominibus constantem; nam cum in excidio Hierosolymitano, Mauritio imperante, singuli homines singulis nummis sub hasta diuenditi fuerint, vnus olim Asinus quadringentis nummis à Q. fuit Axio senatore coemptus. Quinimò singulas in Celtiberia Asinas memorat Plinius quadragenis nummorum millibus enixas, cum pretiosum fortasse id totum æstimaretur, quod à frugi bruto prodijsset. Istos re vera appellare potuissent antiqui Asinos aureos, cum ad illos comparandos plurimùm auri contulerint. Sed claudam ego meritissimi animaculi Apologiam, cum vos ad illud tot criminibus subleuandum benè propensos intuear; & ne longiùs Asini succussatione delassem.

Dicebam.

IN-

IN ASINVM.

ANTILOGIA.

Habita Romæ in Classe Rhetoricæ Collegij Clementini.

Asinum disertissima Panegyri noster condiscipulus commendauit; egregium puerilis ætatis facinus, insigne proficientis ingenij monumentum. Inuidit fortasse dicaculus adolescens Asini gloriæ, vnde tumultuaria nugacitate rudere & ipse voluit. O malè feriatum rethorem; ò insumptum inaniter saponem? Asinum inter bruta gregarium, generis belluini propudium, ad cœlum euehere? Asinum quadrupedum despicatissimum, helluonem, verberonem tantis cohonestare præconijs, è cœno eductum in rosa collocare scarabæum? Saltem, ad ostentandam ingenij præstantiam, summa rhetorum capita æmulatus, vilissimum hoc animal modicis laudibus extulisset, sed totis eloquentiæ neruis contendere, vt illud vniuerso brutorum generi præferret, conferret homini, hoc scelus immane fuit, Auditores, facinus impudens, iniuria non ferenda. Sapienter huiusmodi locutuleios ex vrbe relegandos esse decreuere Lacedęmonij, quòd mentes placare magis, quàm perturbare, delectare potiùs, quam persuadere studentes, frigidam quandam Græculorum nagucitatem, stolidamque rabularum facundiam profiterentur. Putabat audaculus adolescens im-

tomaculas iecinore minutatim conciso confectas, dumque risu conuiuium effuso personabat; contortis in modum linguæ postremis labijs, omnia ventris ingluuie sepeliens alia fercula desiderauit. Hoccine est, Adolescens, dum omnia ingurgitat Asinus, colere parsimoniam? Hoccine est commodū, hæccine beneficentia, exhaurire, depopulari dominorum fortunas? Sapienter ad exprimendum prodigæ mulieris luxum, sedulum veteres effinxere restiarium, in torquendis è tenui iunco funibus nunquam non occupatū, quo sparti longioris fila varijs nexibus complicante, iners Asina, quod ille misero labore texuerat, stans à tergo corroderet. Languescet plurium spatio dierū artifex aliquis perdius, ac pernox, vires suas arduis operibus atteret, vt pauculos nūmos in extremam canitiem reponat; mulier, ignaui ventris asina, quidquid sudore tam improbo partum enascitur, ad corporis illecebras transferret, dilapidabit. Quid cum posteà, vt mendacium palmari mendacio contegeret, Asinum bella nobis oratione vinitorem aduersarius obtrusit? Peregrinatur in ijs, quas memoria tenere deberet, paginis. Saltem si fabulas in medium producere voluisset, in Bacchum putandæ vitis reuocasset inuentum; quasi verò diuina non oracula contestentur, ereptum è cataclysmi colluuione Noemum, virum agricolam, exercere terram cœpisse, inspergere triticum, inserere vites, demetere segetes, vinum exprimere. Errabat fortasse per vineam Asinus omnia deuastans, arbusta prosternēs, proterés olera, vites euellens, vinique re-

repertorem tibijs inflatis deprædicauit, cum debuisset potiùs appellare vineæ perditorem. Poterat re vera tunc Bœotium animal sub ferula priùs coloni aliquantisper edoctus Ammonij gymnasium adire, poterat philosophicas disciplinas, profitente doctissimo præceptore, condiscere, cum pingue illud cerebrum vitis palmite, velut helleboro depurgasset. Non te puduit, cum Asinum à Camœnis non abhorrentem inueheres, cum aliqua in scientijs posse gloriam aucupari dictitares? Non cogitabas, Asinum te ad lyram vocare? Non recolebas, Asinum stabuli stramentum malle, quàm aurum sapientiæ? Non veniebant in mentem illa scommata in Asinini prorsus ingenij capitones proiecta? Cur Iunius Bassus nomen retulit Asini, nisi quia stuporis vitio laboraret? Cur Sicyonios, quos odio prosequebatur Clysthenes acerbissimo, nuncupauit Asinios, nisi quia ingenij culturam negligerent? Cur Antisthenes Atheniensium iudicium increandis magistratibus notaturus, Asinos etiam ad agriculturam deligere posse obiectabat, nisi quia ciues minimè idoneos ad munera reipublicæ sustinenda cooptarent? Cur ad ignauiæ contemptum, qui pilæ ludo victus esset, Asinus olim vocabatur, nisi quia sit iste gentis cuiuscumque ludibrium? Cur C. Metello Scipio Numantinus obiecit, si quintum filium in lucem effunderet mater, Asinum parituram, nisi quia siliceus hæreret in omnibus? Sanè Asinum piscem ex omnibus solum animantibus cor in ventre perhibet habere Aristoteles, quod ad illos homines sugillandos Clemens

mens traduxit Alexandrinus, qui ablegatis à se virtutibus omne studium ventri adhibent, vt abdomini famulentur. Quid aliud sub Socratis persona diuinus Plato reliquit, cum homines fędis cupiditatibus mancipatos, qui per inertiam, atque libidinem vitam prodegissent suam, in Asinos post obitum deijci asseuerauit? Specimen profectò callidi ingenij tunc Asinus edidit, cum in nescio quam spem erectus omnium se principem belluarum venditandi, nobile inuentum excogitauit. Induerat ille demortui leonis exuuium, aptauerat dorso spolium præstantissimæ feræ, spatiabatur per immensam camporum planitiem vasta se mole corporis efferens, lucebant oculi inter villosa supercilia, collum effusis iubis obrigebat, aues in aere volitantes, belluæ per auia oberrantes, agricolæ ad laborem prodeuntes contremiscebant, cum ecce Asinus leonem hucusque nauiter æmulatus, pro rugitu ruditum emittens, magno omnium risu, aliena veste nudatur, fustibus ad necem ferè non perfunctoriè contunditur. Audistisne ynquam supiniores argutias? Vidistisne in lepidissimis pantomimorum fabulis ducem aliquem ventoso fastu tumidam militaris ferociæ pompam ampullatis vocibus facientem, sibilis tandem excipi, ab histrionibus vapulare? Asinum dicite leonis pelle personatum. Legistis antiquum Panos, & Apollinis dissidium de arte musica Mida iudice pro Pane diremptum? Asininas aures in præmium retulisse meritò statuetis. Pan vultu ferino truculentus, hispidus, multibarbus, pectore hirsutus, capite

cor-

corniger, ſpinis, & pilis obſitus Phœbum in Tmolo Theſſaliæ monte prouocauerat. Conuenit Apollo præmulſis capillorum antijs, chlamydatus, & laurea corona præcinctus, cytharam ferens & ebore, & auro fulgurantem: mox læuo pede terræ defixo, cytharam ſuſtinendo incumbentem femori, chordas digitis coeuntibus firmiter premit, ac palma introrſum reflexa ſolicitat, neruos mellitis cantibus animat. Cepit exinde Pan imparibus calamis, qua ſolùm arte pollebat, varios numeros modulari, cepit alternantibus digitis tibias illas inflare: cum Midas victoram Pani deferens aſininas aures, ac liberaliter exporrectas in ſtultiſſimi pœnam iudicij ſibi ſenſit enaſci. Ecce aſininum acumen, ecce ſapientiſſimum Phrygiæ regem in naturam Aſini commigrantem, dum Therſiten Vlyſſi, Belluam, Deo Sirenes Muſis anteponit. Et ſanè non poterat Phæbus iuſtas à Mida pœnas prudentiùs exigere, cum hoc, præter cætera, laboret Aſinus vitio, vt alienis ſe velit rebus inſerere, vt honores deſpicatiſſimo brutorum incongruos ambiat, affectet. Aſinum neſcio quæ gentes pulcherrimè inſtrauerant, phaleris aureis, frenis argenteis, tintinnabulis perargutis ornauerant, vt per finitimas vrbes impoſitum dorſo Iſidis ſimulachrum circumferret. Ibat ille erecto capite, arrectis auribus, exerta cauda, graui inceſſu, in aſinina prorſus maieſtate: cumque aperientes caput numini, quod geſtabat, populos, procumbenteſque in genua venerabundos aſpiceret, talem ſibi ratus cultum ab obuia gente deferri, immobili defixus gradu, tumidoque

doque ſpiritu inflatus, adorantis honorem multitudinis excipiebat. Sed enim, Auditores, vt Aſinus non niſi doctore baculo ſapit, ita tunc non eſſe ſe Deum, ſed Deam vehere belluarum ſtultiſſimus ſenſit, cum nodoſis egregiè fuſtibus dedolatus iter citiſſimè arripere, grauitatemque excutere compulſus eſt. Qua propter cur non ego Lycopolitas, ac Buſiritas merita laudum commendatione deprædicem, tanto odio in brutum huiuſmodi deflagrantes, vt buccinarum vſum penitus interdixerint, quia ſonum redderent aſinino conſimilem? Cur non Ægyptios extollam, quòd impurum animal à ſacrificijs, veluti dæmoniacum amandarint, propter colorem ex albo, nigroque conſucatum, à Deo, & ſacris alienum? Quis ferre valeat, Alexandrum Macedonem *illum*, quem regni paterni vaſtitas non capiebat, cui vnus non ſufficiebat orbis, qui Perſarum in regnum ſuæ ditioni ſubactum intulit ſigna victricia, qui ad Indos vſque aditum ſibi gladio aperuit Iouis filius, belli fulmen, fortitudinis monſtrum, fortunæ miraculum, ad mortem ab Aſino compulſum? Habebat Antipater quaſdam cum Alexandro ſimultates, cumque vellet Regem ſuum turpiter ab imperio deijcere, adhibito Ariſtotelis conſilio, gelidiſſimam aquam è rupe Nonacridis ſumptam, & in Aſini vngula repoſitam, cum vaſa omnia ſua frigiditate, & acrimonia perrumperet, ſitienti Alexandro propinauit. Exhorruere cetera pocula facinus tam immane, confringi potiùs ipſa voluerunt, quàm inuictiſſimo principi vitæ filum reſcindere. Solus Aſinus inſtrumentis

tis omnibus efferatior, cum veneno, ad mortem Alexandro inferendam, conſpirauit. Qua fronte modo Aſinum hominibus beneficum nuncupare poterit aduerſarius, ſi necis iniquiſſimæ eſt adminiſter, regij ſanguinis carnifex? Execramini, Auditores, noxium veſtræ ſaluti animal, diſcerpite, deglubite, feris deuorandum proijcite, nunquam pares de hoſte immaniſſimo pęnas repetetis.

Dicebam.

THRE-

THRENVS CLEOPATRÆ.

Dictus Romæ in Classe Rhetoricæ Collegij Clementini.

ILla ego, quæ reges arctissimo amoris vinculo obstrinxi, ferreis catenis Romanum ad Capitolium obligata traducar? Illa, quæ de Imperatorum cordibus fœminarum pulcherrima triumphaui, indecoro captiua seruitio, triumphum adornabo? Illa, quæ thronum gemmis, auroque tessellatum liberis pedibus ascendebam, victoris in currum, manibus à tergo reuinctis, impellar? Igitur diadema illud, quod aureos crines, nulliusq; legis expertes ornabat, manus non regias, sed famulatrices irretiet? Sceptrum illud, quod in amatorum capita ad beneuolentiæ specimen extendebam, alienos ad pedes, in argumentum captiuitatis abijciam? Siccine fortuna me extulit, vt lapsu grauiore detruderet? Hæccine obsequia iniquissimæ sortis, quæ dum in speciem oculis splendent, ad instar vitri franguntur? Adeone leuis est, vt citiùs à nobis auolet, quàm aduolarat? Adeone citò reposcit, quæ dederat mutuò? Iniqua fortuna, sanguine te prognatam cecinit Orpheus, quia humanis victimis delectaris. Cęcus in me quondam amor tyrannidem vsurpauit, pęnas nunc exigit capitales cęcior fortuna.

tuna. Rotæ te veteres imposuere sapientes, non quia instabili varietate per hominum negotia discurras, sed quia calamitosos immanissimo rotæ supplicio detorqueas. Sed cur fortunam arguo, ipsa meæ causa fortunæ.

Nos facimus fortuna Deam, cœloque locamus. Ego mulier Ægyptia, fuliginosos inter accolas candida, matronale decus spurcissimis maculis denigraui. Ego tot procis obnoxia regiam in lupanar conuerti, mei nominis lupa. Nunquam putaui, amorem tendere laqueos, nisi cùm istis me vidi vinculis implicatam. Non amor, sed amator est, qui extrema gaudij funesto luctu concludit. Eliquabam margaritas aceto, tunc amaritudine consumar gemma mulierum. O vtinam sacram coniugij fidem minimè violassem, non macularetur modò honor reginæ. Sed quid? non fui regina, sed pellex. Quæ fidem infregit maritalem, quem habeat fidelem? Captiua ducat Veneris mancipium. Inuideo tibi Lucretia, quæ si ex violento Sexti Tarquinij concubitu aliquam pudori maculam intulisti, maculam etiam effuso cruore delesti. Inuideo tibi felix Elisa, quam infelicem vana tantum fecerunt poetarum mendacia, cum pudicitiam corporis nullo vnquam flagitio pollueris: Ego cum infinitis me sceleribus inquinarim, voluptatum ancilla, mortis adhuc faciem horresco. Regnabam in Ægypto puppa Veneris inter Gratias, modò furiarum satellitio stipata ad inferos adigar. In mundi proscenio felicem ordita sum protasim,

tasim, lamentabilem in actu postremò catastropham dabo. Mihi nendis vestibus laborabat Assyria, odoribus inhalandis desudabat Arabia, aurum India, gemmas Erythræum mare mittebat, nunc mundo destituta muliebri, alieno iugo succumbere cogor, inops mei. Quid iuuat argentea corpori detergendo gutturnia adhibuisse; vt animum sordibus inquinarem? Quid ingentem ferramentorum supellectilem obliquandis crinibus instruxisse, vt maioribus me laqueis implicarem? Heu torquens aureæ, quot hominum corda catenastis? Heu inaures vermiculate, vestro tinnitu diu nimiùm absurdui? Heu stragulæ vestes, non tot errores Phrygia super vos acus pingere nouit, quot ego inuoluor erroribus? Ite purpurissi medicamenta, vos faciem decolorasti? Ite peregrini muris olentes pelliculæ, malè me olere fecistis. Ite inanes suffituum amores, meum fumo caput satis impletis. Valete tessellata scrinia, repleta sordibus. Vale pixidum turba, valete vascula plena multæ infelicitatis. Vale speculum improbi consilij oraculum. Valete omnia accersendæ pulcritudinis instrumenta; stultum est, iactare se belluarum spolijs, & piscium cruore decorari. Illa, quæ filios pariebam regum reges, regum serua nuncupabor? Illa, que solem, & lunam genui, versabor in tenebris? Illustrabunt hæc lumina scelus in eum. In mea obscuritate clarescet Augustus, meis in angustijs augustior. Siccine Romani rerum domini, si in fœminam vires exercent? Siccine gladijs, & clypeo mu-

muniti fœminæ pectus inuadent? Heu Cleopatra, regale olim nomen, aliquod etiam amasijs numen, quantum mutata ab illa es? Tuam appello, Cæsar inuicte, fortitudinem, quæ de imbecilli muliere triumphatura vilescet. Si Romanum est, ac planè Cęsareum...

Parcere subiectis, & debellare superbos

en tuis me pedibus prouolutam, en voce tremula, & gracili veniam à tua clementia poscentem. Non ita me febris lecto defixit, quin ad maiestatem tui vultus adorandam prosilirem, prima tantum veste contecta, nudato pectore, præda Cæsaris, si fui prædatrix Antonij. Quem olim aditum apud auunculum tuum, diuinique nominis dictatorem inueni, tu mihi, Cæsar Auguste, præcludes? Ex me ille, quam ardentissimè deperibat, Cæsarionem filium suscepit, tu Cæsaris vxorem, ex sorore nepos inaudita sæuitia trucidabis? Cur huc accedere, cur me inuisere, cur humanissimè alloqui placuit, si me regnare, si me viuere displicet? Per illam ego te dexteram rogo, Cæsar, qua victos erigere soles, & subleuare tuis genibus nixos, Cleopatræ lacrymas intuere; minor est laus, regna copijs armatis euertere, quàm reges victoris lenitate seruare. Gloriosior triumphus est, qui de seipso deuehitur, dum vltionis cupiditas magnitudine animi coercetur, quàm qui de mortuæ reginæ spolijs reportatur. An non satis Antonium subegisse te putas, nisi omnia, quæ erant Antonij, hostili gladio conficias? Antonij sum, & te, immanissime

Cæ-

Cæsar, odi, & execror. Meritò maioribus tuis meus illudens Antonius proauum tuum Afri generis fuisse, modòque vnguentariam tabernam, modò pristinum Ariciæ exercuisse obiectabat: nescit tam humile genus reginæ obsequi, nec didicit regentis decorum esse, ceteris non loco præsidere, sed præstare clementia. Falleris, si tuo me currui deuinctam existimas in Capitolium pertrahere; non alium sequetur currum Cleopatra, quàm mortis. Adhuc regina sum, quamuis tyrannici trophæum infelix imperij; animum in seruitutem adducere nullus potest. Impera Cæsar, sed tibi, & tuis. Tu verò, Antoni, ò nomen, vnicum in tanta calamitate solatium; falso meæ mortis nuntio delusus occubuisti. Ipsa fui tuæ vitæ carnifex, ipsa te ficto mendacio decepi, ipsa gladium per tua viscera compuli. Viximus satis inuitabilem mutuis conuiuijs, vitam, nunc enimuerò commorientem trahimus, non quam instituimus cœnarum lautitia voluptuosam, sed quam tanta nobis infortunia pepererunt. Sed heu? tu quidem triumpho subductus vitam generoso fine clausisti, ego verò iniqui prædonis exposita feritati, viuo, an potiùs morior? Iamdudum me in sepulchra receperam, ante sepulta, quàm mortua; ex istis me Cesar eripuit, sæuire ausus in cineres, vt atrociori morti seruaret. Sed auertat Iupiter, & amica Isis, vt tu Romanus in Ægypto iaceas, ego Ægyptia Romæ. Me me ipsam educto gladio transuerberabo, ne quos plurium annorum vita coniunxit, mors longinqua diuellat.

lat. Ne patiare, me viuam abduci, sed hic me tecum in hoc tumulo absconde; nam præ ceteris, quibus vehementissime premor; malis, hoc acerbum est, atque graue, sine te tempus vixisse breuissimum. Accipe, quas ad sepulchrum abijcio coronas, tuos mihi manes conciliabunt, moriturae feretrum insternent. Accipe oscula, quæ frigido marmor infigo, testimonium seruati etiam post mortem amoris. Quam necem impijssimus Cæsar abnuit, liberaliter conferent belluæ. Ista aspis meo iaspis erit in pectore. Non ita surda erit hæc meas ad preces, vt siliceus imperator. Morior, & venio.

Dicebat.

FINIS.

IO. ALOYSII
CERCHIARII
Congr. Somaſchæ
POESIS.

Illustrifs. & Reuerendifs. D.D.

THOMÆ MALLONIO

EPISCOPO BELVNENSI

Congregationis Somaschæ

CLERICO REGVLARI.

IO. ALOYSIVS CERCHIARIVS eiusdem Congregationis F.

CArmina isthæc mea, quæ liberales in manus exporrigo, eruditis etiam oculis submitto, Illustrifs. Antistes. Extinguere ne incipio debitum, an potiùs accendo, dum paginis immerentibus tuum pateris nomen inscribi? vnam è multis obligationem eluere cogitaram, sed video congestis in me donis feliciter obrui, cum sciam magnis viris nunquam satis beneficia rependi, quin exactiùs aliorum erga se obsequium demereri, cum humilium solutionem non dedignantur admittere. Quidquid id est, debebant mea carmina Mecœnati optimo deuoueri, cuius munificentia se senserant magis obstringi, quàm suis pedibus vincirentur. Ceterùm quàm tutiorem in arcem ab obtrectantium ictibus confugere poterant, quàm tuas gentilitias in TVRRES, poetæ cuilibet in Aganippæis aquis velificanti portum tutis-

ſimum? Imò quis me theonino auderet dente mordere, quin à tua bicipiti AQVILA fulmen timeret? Sed nolim ego tantæ maieſtatis patrocinium ad confodiendas muſcas, & meras blateronum gerras abijcere. Barberinas illas APES tuo ſtemmati ab Vrbano VIII. Rege ſacrorum inſertas aculeo carere arbitror, quia Regiæ ſunt. Vtinam ſicut fucos à præſepibus arcent, ita momos ab impoſturis abſterreant, & quæ eſt in carminibus amaritiem ſuo melle compeſcant. Vale.

LE-

LECTORI.

SOlutę orationi vinctam adiungo, & proſæ carmina, vt in tuum guſtum, ſi non languentes, eneruesque orationes, ſaltem carmina ſuis pedibus veniant. Sacris, profaniſque metris indulſi, tum ne mei inſtituti obliuiſcerer, tum vt lectoris etiam recordarer; qui probare ſolet illa, ſed iſta legere. Si quid erit poetico ſale conditum, degũſtabis, ſin omnia inſulſa, & delicato palato iniucunda, tuæ humanitatis dulcedine condies. Vale.

D. Desiderius Cornalbius Præpositus Generalis Clericorum Regularium Congregationis de Somascha, & Doctrinæ Christianæ in Gallia.

CVm duo nostræ Congregationis Theologi, quibus libellum carminum à P. D. Ioan. Aloysio Cerchiario compositum, recognoscendum dedimus, dignum prælo censuerint; Nos eidem Patri facultatem concedimus, vt seruatis seruandis curet imprimendum. In quorum fidem, &c.

Dat. Papiæ in Collegio nostro S. Maioli die prima Octobr. Anno M.DC.XXXIII.

D. Desiderius Cornalbius P. G. &c.

EGo infrascriptus de mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris Bergomi Carmina hæc Adm. R. P. D. Io. Aloysij Cerchiarij Congregationis Somaschæ diligenter legi, in quibus cum ne minimum orthodoxę fidei, aut bonis moribus detrimentum, sed ingeniosorum poetarum nationis insigne repererim incrementum, digna quæ perpetuis imprimantur præli characteribus censeo. In quorum fidem, &c.

Berg. Non. Ianuar. An. M.DC. XXXIV.

Aloysius Tassus S. T. D. Canonicus Ecclesiæ Cathed. Bergomi.

Imprimatur.

Fr. Io. Baptista de Gauardo Inqu. Berg.

Imprimatur.

Iosephus Iapessius Vic. Generalis.

AD

AD R. P. D.

IO. ALOYSIVM CERCHIARIVM

De sua eruditissima Poesi ODE

R. P. MICHAELIS ARCHANGELI BOTTI

Clerici Reg. Congregationis Somaschæ.

QVa destinatis frondet honoribus
Facunda Laurus, qua genialium
Suada Cycnorum fluentis
Roris Apollinei liquatur;

Qua se beatis corda reciprocant
Lymphata curis; hic tua frontibus
Clio coronatis propinat
Irriguos Heliconis haustus:

Seu militares tractet adoreas,
Seu Gratiarum temperet otia,
Seu regna Pacis, siue belli
Palladios moduletur ausus;

Alumna Phœbi, Martis, & assecla
Vtrinque spirat gratior; ambigam
Fontesne præstent, aut arenæ,
Dum numeros rotat, aut sagittas.

Hæc Laureatis Mercurium Choris
Fecit iugalem, nouit & vtile
Miſcere dulci, cui cor ingens
Vincere nil vetuit Supremum.

Grandeua ab ipſis Vena crepundijs
Ad prima traxit pocula Delium,
Et inter arcanos furores
Vix oriens adoleuit oeſtrum.

Non ſi trecentas quis legat ex tua
Virtute palmas, ſat leget; at parem
Accedit ad laudem, quòd ipſis
A numeris numerus recedat.

Tuis minores non niſi colligit
Pindus coronas Crinibus. Æthere
Iam quære palmas, & Capillos
Diſce noua redimire Lauro.

In Assumptione B. MARIÆ VIRGINIS.

SOTERIA.

Cum Pestis, Fames, Bellum per Italiam grassata vim remitterent.

Celebrata Romæ in Collegio Clementino.

Anno M. DC. XXXI.

AVspicijs iterùm se se felicibus annus.
Induit, & solitos iactantior aula triumphos
Explicat, auratis cum Virgo ducta quadrigis
In cœlum, victo surgit de funere victrix.
Cernis, vt Aligerum varijs ad sidera pompis
Discolor incedat legio, tenuemque canoro
Aera concentu mulcens comitetur ouantem?
Laudibus innectit laudes, quòd Virgo salutem
Attulerit miseris, vt quondam Martia Diti
Roma dabat ternis celebrata trinoctia ludis.
Nos quoque pro multis Mariæ Soteria donis
Reddimus, & pictis mandamus carmina muris,
Italicis quòd Virgo luem desieverit oris,
Atque nouam promittat opem. Vos digna canenti,

Fertes animos vati, Insubriæ quos vita superstes
Casibus eripuit, longinquis Roma periclis.
Viuit io, morbus vexatum lethifer orbem
Deserit, & redeunt pacato sæcula mundo
Aurea, iam cessit fœtis penuria terris,
Iam trabeam Bellona gerit, gladijsq; remotis
In noua sceptrigeri conspirans fęedera reges.
Viderat Italia portendere sidera cladem.
Ate, Mæonides olim quam finxit Homerus
Sedibus eiectam superis, cũ tempora adultis
Apta videns odijs, orbem miscere ruinis
Constituit, tripliciq; viros inuadere morbo.
Ergo Famem cum Peste vocat, vocat illicò Bellum;
Huc fide comites, huc mecum, dixit, adeste;
Egregium molimur opus, durabit in annos
Plures factum ingens, irati flammea cęli
Stragem pollutis minitantur sidera terris.
Insubricas tentare vias, præcurrat in omnes
Vrbes bellipotens armato milite Mauors.
Mantua dat causas, exundet sanguine tellus,
Consurgant Aquilæ, consurgant Lilia, totus
Marte sub ancipiti metuat discrimina mundus.
Hinc tu perge, Fames, auidis absumere furtis
Quidquid triticeæ cõcludunt horrea messis,
Quicquid sollicitis emittunt arua colonis.
Nemo vehat Cererẽ fœcundis diues ab agris,
Quisq; fame intereat. Tecum, si sola recusas
Pergere, Pestis eat; triplex malè rumpitur agmen.
Vos ego non linquam, rapidas sed in aera pennas

Ex-

Extendam, celeri vacuum per inane volatus
Præcedã, vestros prior ipsa parabo triũphos,
Dixerat, & cœlũ redibus metitur aduncis,
Ac petit Insubricas alis properantibus oras:
Hic subito hostilis funesto buccina cantu
Cogit ad arma viros, cõcurrũt agmina iũctis
Vexillis, galeatæ acies, ærata iuuentus,
Et pedites, equitesque simul; iam sanguinis
vndant
Flumina, vulneribus geminantur vulnera,
pugnæ
Maior inardescit feruor, lacrymabile vbique
Cernitur, heu, bellũ campis ardere Sabaudis.
Mox defecturis iamdudum: tabida membris
Corrupto terræ tractu miserandaque venit
Perque homines, perque aura lues, & lethi-
fer annus.
Omnia Gorgoneo tinguntur compita viru,
Sæua ferũt morté occultis vnguẽta venenis,
Hic pater, hic natus, viduæ cũ fratre sorores
Intereunt, fluido dimanant corpora tabo,
Nec locus est arti medicæ, nec cura medentis.
Iãq; comes semper magnorũ prima malorum
Dira Fames aderat rabidus furit ardor
edendi,
Perque auidas fauces, immensaque viscera
regnat,
Membra situ languent, tenuis ieiunia venter
Ferre nequit, fixis homines radicibus herbas
Vellere coguntur, moremque imitando fe-
rarum,
Vel fœno pasci, rigidos vel carpere dumos.
Sic stetit Insubria, æterni cum victa tonantis
Casibus humanis pietas, demittere ab alto
Axe Litas renuit, Noxæ quò damna leuarẽt.

Vna erat in terris ſupremi filia patris,
Spõſa parẽſq; Dei, deuicta morte triũphans,
Quæ ſuper æthereas debebat ſcandere ſedes;
Hãc iubet, è tumulo rediuiuã ſurgere, & Atẽ,
Aera quæ liquidum vitiabat pellere, quando
Surgit ab angelicis Virgo ſtipata maniplis;
Lumina ſideribus certant, molleſq; flagellant
Colla comæ, Tyrio corpus velatur amictu,
Tota Deum ſpirat. Veniebant agmine iuncto
Vita, ſaluſque ſimul, nec diſceſſura voluptas,
Laturæ auxilium. Vix prodit in æthera Virgo,
Cũ fugit atra lues, miſerum cũ deſerit orbem
Sæua fames, poſitiſq; quieſcunt ſæcula bellis.
Pellitur Italiæ armipotens Gradiuus ab oris,
Pax remeat, choreæq; leues, Annona ſubactis
Germinant in cãpis, pinguis miratur ariſtas
Terra ſuas, primam vitiata cadauera vitam
In læſos reuocant artus, redit omnibus idem,
Et decor, & facies, & duratura venuſtas.
Nectite nunc lætæ candentia fila ſorores,
Nectite, nemo ſibi tranſactos deputet annos;
Hic vitæ natalis erit; cœleſtia terris
Munera demittũt ſuperi; pro munere tauros,
Quis valeat mactare pares, quis reddere honores?
Vna inter reliquas Mariæ gratiſſima grates
Adriaci Regina maris, dilecta Tonanti,
Vrbs, decus Italiæ ſoluit, templumq; rotundo
Marmore ſuſtollit primam teſtata ſalutem;
Exẽplũ dedit illa, ſequentur in ordine plures,
Ipſe ego, pro Roma incolumi, pia carmina (Iuſſi.
Canebam.
DE

DE HÆRESI ASSVMPTÆ VIRGINIS Patrocinio profliganda.

Cum Guſtauus Adolphus Germaniam inuaſiſſet.

PÆAN.

Decantatus Romæ in Collegio Clementino.

Anno Domini M. DC. XXXII.

QVid video armatas acies, & ſtrenua cęli
Agmina ſidereis pugnam proludere campis,
Hoſte vel à domito reduces ad ſidera turmas
Virgineum ſtipare latus, ſtipare triumphum?
Angelicæ tàm ſæua parant certamina mẽtes,
Quæ pacem dixere viris? vrbs illa choreis
Plena, maniplares ad triſtia bella phalanges
Expedit, & rigido munit thoraces beatos?
Siccine, commotis præceps diſcordia terris,
Cogit in arma Deos, patrioque recedere olympo.
Compellit? tantæne animis cęleſtibus iræ?
Auguror: hæreſcos proſtratis viribus, orbes
Virgo petit ſuperos, & partis læta tropheis
Cęlicolum pennata cohors adplaudit eunti.

Roma tibi primum Mariæ persoluere grates
Conuenit, & meritos aris imponere honores,
Auspice, quæ Scythicas superasti Virgine turbas
Vandalico subducta Duci. Si vocibus aures
Aduertes intenta meis, ab origine bellum
Expediam, & tanti causas memorabo triumphi.
Viderat Argolicis Ioannes exul in oris,
Æthereo magnum fulgure in pegmate signum.
Et mulier, quod vidit, erat, cui Phœbus amictum
Lustrabat, cui Luna pedes, duodenaque crines
Sidera cingebant, tacitas cui squamiger anguis
Tendebat fraudes, rapidis sed in aera pennis
Illa abijt, sæui ludens aconita draconis.
Ecce Draconigenas in prælia suscitat atrox
Hæresis: haud quos Cadmæo de semine natos
Prisca fides cecinit, sed quos Erimantia tellus,
Suedia progenuit: Gustauum cogit Adolphum,
Finibus egressum patrijs, aliena rapinis.
Perdere regna suis. I, mi carissime, dixit,
Imperium nunc orbis habe, tibi militat æther.
Si gladium stringis, si puppibus æquora sulcas
Balthica, felices veniunt ad classica venti.
Dum res Europæ, Christiq; euertere gentem
Cura tibi fuerit, toti dominabere mundo,
Quàm Titan ortu terras aspergit Eoo,
Et quà se remeans liquidũ demergit in æquor

Iam

Iam Sigismundo rapuisti regna Polono
Suedica, iam Cimbros violento Marte tyrannos.
Terrificas, alios quærat tua dextera fines.
Non te, non te, inuicte, capit tua Suedia, aiuto
Te pudeat marcere solo, tibi seruiat orbis,
Te Bauarus, te Germanus, te Hispanus adorent.
Non deerunt comites, qui se qui bella ministrent
Auxilium latura potens, sibi Saxones addent
Et decus, & gentem; præsens erit Anglia, toto
Orbe licet diuisa iacet, dabit Hassia robur
Pubis belligeræ: hinc fortis vexabit Iberum
Hollandus; ritulis hinc Transiluanus in armis
Proteret Hungariam; veniet Fridericus in vrbes,
Te reuocante, suas, tua laus, tua gloria semper
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Dixerat, & stygio Gustauus percitus æstro,
Pronus ad arma ruit; subito clangore tubarum
Effera concurrunt acies ad prælia, turmis
Vndique cristatis feruet Pomerania, sæuum
Cuncta sonat Ma tem; flauo præcurrit Adolphus.
Vectus equo, mediosque alacer bacchatur in hostes;
Te primum tot plena viris, tot clara triũphis
Inuadit Lubecca, Gothos quæque inclyta reges

Vi-

Vicisti, deuicta iaces; Hamburga ruinam
Sic patitur solido quamuis circumdata vallo;
Sic Magdeburgum longo iactata tumultu
Bellorum, hostiles ad cladem prouocat enses,
Tandem hosti cedens flammis exardet amicis.
Nec te defendit rapidus Francfordia Mœnus,
Cæsaribus quondam sedes electa creandis,
Lipsia, Palladio nequicquam numine tuta,
Diues opum quateris, multo cadit ariete florens
Herbipolis, dulci regio cultissima Baccho,
Sed nimio infelix auro, indefensa tot hostes
Praga nequit longùm perferre, Moguntia claues
Portigit, effreni vires experta furoris,
Et Rheno malè tuta suo; Bamberga duorum
Arma ducum metuens, duplicem lugere ruinam
Cogitur, aut victor muros conscendat Adolphus.
Aut rapiat victas Gustauo Tillius arces.
Nec te, Spira, iuuat, nec te iuuat, Vlma, fideles
Exercere animos, misera quandoq; triumphas
De virtute scelus; longos Augusta per annos
Tam celebris priscam renuouat sub Principe cladem
Acceptam Varo, Monacum post sanguinis vndas
Effusi; vt rectis vicinos arceat ignes,
Hostiles saturare manus compellitur auro,
Vindelicos sic iste Draco discurrit in agros
Contentus nec cæde vna populatur, & vrbes

Qua

Quà ferro, quà flammis, quà obsidione cruentat.
Hæc tua poscebant gelidi vastare dracones
Mœnia, & excisis armato milite muris,
Romanam maculare fidem; sed Virgo procellas
Vandalicas inuecta polum frenatur, & hydrā
In noua quotidie compressit colla tumentem.
Hæc est, hæc mulier Pathmos sub rupe Ioannes
Quam vidit, leuibus cœli per inania pennis
Efferri, lunam pedibus succumbere cerno,
Sideribus radiare comas, effulgere corpus
Sole nouo, video angelicos formosa manipłos
Desuper astra sequi, victoque ex hoste triumphum
Ducere; stelliferi video per limina cœli,
Festantes gestire choros, & carmina lætis
Ingeminare modis; nebula sedet illa curuli,
Cæruleo contecta humeros velamine, vultu
Tela voluptatis iaciens, camposque serenans
Aerios, superis sacros inspirat amores.
Sic mulier Scythici caput exitiale draconis
Conterit, antiquum bis capta Boemia Regem
Agnoscit, posita assumens cum belliger arma
Fridlandus, missasque vocās ad signa cohortes
Pragensem domitis extorquet ab hostibus vrbem.
Misit ab Hispanis inuicto milite regnis
Confertas acies, aurique talenta Philippus,
Longinquas penetrat sedes patruumque potenti
Auxilio releuans, Suedos exturbat ab agris
Franconiæ, Spiramq; sui sub nominis vmbrā
Su-

Suſcipiens parere Aquilonem præcipit Au-
ſtro.
Parte alia Bauarus proprijs confiſus in oris,
Agmine ſtipato, palmaſque aucturus auitas
Vertitur ad bellum, pulſoque è finibus hoſte,
Vrbes ingreditur patrias, Germania tantis
Cladibus emergens, Mariæ perſoluit hono-
res,
Hæreſis, & ſtygias ſugit indignata ſub vm-
bras.

Canebam.

DE

DESERTVM MVNDI

In nouum deliciarum Paradiſum.

In fauſtiſſimo Deiparæ Virginis natali die Conuerſum.

GENETHLIACON.

PVlchrior Eois cur Phœbus prodit ab vndis,
Atque diem meliore coma diffundit in orbem,
Præpropero vectus curru? quid nectar olympo,
Sidera mellifluo ſpargunt, zephirique tepentes
Florigera argutis demulcent arua ſuſurris?
Ridet odoratis tellus variata tapetis,
Omnigenoſq;ſinu profert autumnus honores
Ipſæ etiam volucres celerantem lumina ſolē
Feſtiuo excipiunt cantu, naturaque curſus
Aduertens fortaſſe alios inſtare polorum
Ipſa ſuas miratur opes, an ſæcla recurrunt
Aurea, diuorum toties experta fauorem,
An potiùs nata reparatur Virgine mundus,
Virgine, quæ ſeruans niueum ſine labe pudorem,
Alma parens, & nata Dei, Dea, ſponſa tonantis
Effudit caſto delapſum viſcere numen?
Sic equidem reor, ò Venetæ laus maxima gentis,

Lau-

Laurigeræ lux alma domus ſacrique Senatus
Purpureus princeps, facilem concedere mentem
Si dictis libeat, noſtriſque aduertere ceptis,
Eloquar, hauſerunt etenim præcordia Phœbum.
Horruerat mundus; ſi mundum dicere poſſim,
Quem crimen fœderat atrox; nam flumina, venis
Quæ riguis aurum per læuia ſaxa trahebant,
Limoſis fluxere vadis; reptantia virus,
Sæuitiam ſumpſere feræ; viridantibus auſter
Depulcrat folia arboribus, conſuetaq; fruges
Tradere terra homini, ſteriles producere dumos
Ceperat, & curuo laniata dehiſcere aratro.
Amiſſus decor omnis erat; quin pluribus olim
Dentibus à Cadmo Thebani ſparſa draconis
Armatos fęcunda tulit, prognata marito
Fęmina. fęminei verbis deluſa colubri,
Sæuior at colubro, venturos ſola nepotes
Perdidit, & miſeras erebi damnauit ad vmbras.
Hoc vidit celſa ſuperum regnator ab arce,
Et fęda tanti commotus imagine caſus,
Ergò me ne hominem cæcis feciſſe tenebris,
Nonne illi os ſublime dedi, cælumque tueri
Iuſſi, ac erectos ad ſidera tollere vultus,
Vt vaga proſpectans rutilæ tentoria ſcenæ
Arcanos animo cuperet penetrare receſſus?
Quem mihi plaſmaui ſimilem, ſuperiſque creaui
Penè parem, ſæuo patiar ſuccumbere Diti.

In formesque domos, obscuraq; regna subire?
Non ita: sed faciam vacuas implere curules,
Quas aula pulsi diuum liquere ribelles.
Infirmũ malè sistit opus, quod ducit olympũ
Nec benè calcat iter, gressus nisi dirigat au-
ctor.
Fęmina principium lapsus; hæc funera terris
Attulit; hæc lacrymas; vrgens releuare, ma-
lorum
Fęmina debet onus, damnum dedit hortus
& hortus
Conferet alter opem; colubro fuit ille reclu-
sus,
Hic conclusus erit; sterili de ventre Puellæ
Nascetur, miseri generis tutela, salusque
Auctorem paritura suum; feret ipsa leuamen
Quà licet, & lapsis succurret fęmina rebus.
Dixit, & impleri cęlesti pignore sentit
Anna vterum, donumque suæ mirata senectæ
Procedit prægnans; fixo mox tempore sacrum
Ventris onus ponit. Prodit vaga pupula, cęli
Delicium, terræ species, Ereboq; tremendum
Prodigium; luci blandos vix pandit ocellos
Sidera suspiciens, alto cum vulnere læsus
Ardet amore Deus; tanta ad spectacula cęlum
Commotum studio visendi excitur, & astris
Agmina labuntur superum, leuibusq; choreis
Molles aduolitant cunas, & carmina, dulci
Mista sono ingeminant, Reginam voce salu-
tant.
Pupula blāda iacet teneris circundata plumis
Flammas ore vibrans, & sunt duo lumina
flammæ;
Poma genis superat, superatque corallia la-
bris.

Re-

Regnat in ore lepos; Charites ad cuncta mi-
niſtræ
Officia, innumeris onerant cunabula donis.
Tunc natura, velut poſito ſqualore virentem
Exhilarat faciem, roſeis gemmata pyropis,
Garrula creſcenti pubeſcit ripa ſmaragdo,
Aureaque in nitido, lymphis immixta ſono-
ris,
Currit arena vado: deſerti deſerti orbis.
Dedecus, & nomen, qualem finxere priores,
Prima ætas redijt, pingues, cum agmine
campos
Ver ornet, plantæque ſuis vmbracula ramis
Expandant. Iam Noxa fugit, Bellumque
cruentis
Abſcedit terris: pauidas Aſtræa ſorores
Ducit ab exilio, remeat Pax, prodit olympo
Speſq; Fideſque ſacro regnat coniuncta Pu-
dori
Religio, Paradiſus adeſt en orbe ſecundus,
Prima parens vetitos dum carpit ab arbore
fructus,
Eliſias violenta plagas irrupit, & orbem
Mors fera corripuit: melior traducet ab
orco
Natos eſſe parens, fructum cum proferet al-
uo.
Illa ſui fuit è coſtis fabricata mariti,
Hæc puro gignet cœleſtem ſanguine Adamũ;
Illa veneniferi decepta eſt fraudibus anguis,
Conteret hæc pedibus tumidi capita alta
draconis,
Illa nocens homines terreſtri excluſit ab hor-
to,
Inferet hec cœli placidis intacta viretis.
Vos

Vos ite, ò iuuenes, studij quos cura momordit,
Adriacæ spes magna togæ, nunc digna laborum
Exorta est Præses, vestras lassare Camœnas
Sistite, & Aonij quot fingunt numina vates.
Et noua progreditur stellanti musa cothurno,
Auroræ similis, calamos huic tradite vestros,
Huic vestros sacrate animos, dabit illa bicornem
Scandere non montem, cœli sed culmine sistet.

Canebam.

DE

De laudibus
B. HIERONYMI
ÆMILIANI
Congregationis Somaschæ Fundatoris.

EPICINIVM.

Habitum Romæ in Collegio Clementino.

Anno M. DC. XXX.

IN noua fert animus mutatas agmina formas
Dicere, & Adriaci summo bellata tonanti
Bella Ducis, sacrisque exercita prælia signis,
Inclyta magnanimi linquens cum signa Leonis
Æmilins vexilla sequi decreuit olympi.
O quæ clara virum sublimi gesta cothurno,
Calliope, celebras, facili da numine vati
Męonia laudare tuba, quos Marte triumphos
De sacro Dux *iste* tulit. Si rauca sonantes
Fistula per lituos, belli penetrare tumultus
Horrisonos poterit, vestras peruadere & aures,
Æmilij palmas tenui modulabor auena.
Iam tria pubescens numerabat lustra Mianus,
Adriaci cum iura fori pertæsus, in armis

Ver-

Versari voluit, lateri suspendere ferrum
Cepit, & vndantes galeæ componere cristas.
Non tulit hos animos belli nutrire Mianum
Pallas, non Pallas cerebro quæ armata Tonantis
Prosiluit, non sanguinei germana Gradiui,
Sed quæ sidereum pariens intacta parentem,
Cælica sub sacris animat certamina signis.
Æmilij validas ardebat pectora flammis,
Exueret mucrone manus, & mēbra metallo,
Inciperet noua castra sequi: sed clauserat aures
Mauortis violenta furens in prælia miles.
Non illum diuina mouent certamina, turmas
Non placet infernas. Erebi detrudere ad vmbras,
Aut vitijs inferre necem; generosa trophæis
Belli mens rapitur, multū sitibunda cruorem
Dextra petit, gladij tendēs in vulnera pectus
Horrida belligeri Martis discrimina anhelat.
Forsitan Adriaci florentia regna Senatus
Oderat obscuri tumidus regnator Auerni,
Inde repugnantes conatur iungere gentes,
Atque animis adhibere faces, vt totus in oras
Conspirat Venetas mundus. Centena propinquis
Millia sub signi mittebat Cæsar ab agris,
Gallia pugnasces dederat generosa phalanges;
Assuetum bello populum stiparat Iberus,
Strenua nam paucas sociarat Mantua vires,
Ferrea cristatas tulerat Ferraria turmas.
Cum Venetas nutare videns Regina secures
Adria magnanimo metuenda Leone Virago
Purpureos accire Patres, & damna pericli

Inſtantis narrare cupit. Venere rubenti
Patritij ſub veſte ſenes, retinere curules
Diſpoſitos iubet illa ſuas, tunc ardua vultu,
Maieſtate graui, labris hæc verba diſertis
Proloquitur. Patres, populo rediuiua Quiritum
Natio, bellum vrget, coniunctis agmina ſignis
Auſtriaci mouere Duces, & Gallus, acerba
Quem modò clade ſuis ipſi diſiecimus oris,
Criſtas tollit adhuc: Itali, qui noſtra tueri
Regna tenerentur, Reginam vertere curant
Italiæ? Innumeras tacito iunxere cohortes
Fœdere; vt Adriaci proculcent culmina regni
Vt victos trudant Aquilæ de ſede Leones.
Et iam per Venetos excurrunt agmina fines,
Quà rapido fluuius decurrit gurgite Plauis,
Quà Taruiſini ſurgunt ad ſidera montes.
Ergò equites ſtipatæ leues, numerate cateruas,
Militiæ date ſigna noua: tormenta boatu
Bellica iam reſonent, languẽtes buccina ciues
Excitet, & pleno tundantur tympana pulſu.
Surgit apud Querium moles non vltima, Caſtrum
Dicta nouum, leni montis, ſe culmine prodẽs,
Hæc ne ſublimi excurſus prohibebit equeſtres,
Et pedites remouebit agris: Huc mittite auita
Scipiadum de gente Ducem, priſcoq; nepotem
Æmilio clarum, cuius virtute Quiritum
Æmula Carthago cecidit tumulata ruinis,
Senſit & extremas inuicta Numantia clades.
Æmilianus erit, Venetis qui finibus hoſtes
Pellet, & ad patrios coget remeare penates,
Aſſen-

Aſſenſere Patres, breuibus mandata dedere.
Iret, & armato ſtipatus milite fines
Adriacos tegeret, Germanos arce fugaret.
Protinus inſigni decoratus munere faſces
Accipit Æmilius, gemmataque ſceptra capeſſit
Induperatoris, celeri mox oppida linquens
Taruiſina gradu, caſtri peruenit ad arcem.
Iam ſua Cæſareæ fundarant caſtra phalanges,
Nec procul aprico Callus tria lilia campo
Fixerat, huic acies fortis ſociarat Iberus,
Eſtenſis, Gonzaga Duces ad ſumma cateruas
Damna ſuas, agri longinqua in parte locarāt.
Poſtera vix plauſtro roſeos aurora iugales
Iunxerat, & lucis radios rubicunda ferebat,
Nuntia ventutæ cladis, cum tympana rauco
Impulſu reſonare iubet, qui ſumma Paliſſas
Iura dabat; capiti galeas poſuere cohortes,
Tormenta & tereti grauidarunt ferrea plūbo,
Iā præceps hinnibat equus, iā ſpumea morſu
Frenas reuoluebat, ſpiranſq; è naribut ignem
Iam pedibus pulſabat humū, cū cępit anhelos
Arduus inter equos caſtris exire Paliſſas.
Ibat inauratis humeros circumdatus armis,
Vndantes nitida volens in caſſide pennas,
Sceptra manu quatiens: cāpo ſpatiatur aperto
Flammas ore vomens, qualis cum ſæuus Achilles,
Vulturus mortem Patrocli, Vulcania matris
Arma ſuæ Thetidis, miſere ſub mœnia Troiæ
Induit, aut cum Threijcia ſudaret inhaſta
Marſpiter, & bellum Rhodopes miſceret in aruis
Pone ſequebantur diuerſis agmina ſignis

Et pedítes, equitesq; ſuo ſimul ordine, totum
Obnubunt vexilla polū,ferit æthera clamor.
Obſtrepit Æmilio vulgus, quid contra manipolos
Innumeros pugnare velit? ſe dedat amicæ
Inclamant parti, componat fœdera, gentem
Inculumen ſeruet, quòd ſi decernere ferro
Rem velit, expectet certum per viſcera ferrū,
Iam iam tormentis vulſuros mœnia, diras
Iam ſaturaturos hoſtili ſanguine dextras.
Non tulit Æmulius metuentis ſtridula turbę
Verba, ſed accenſo rapidas ex ore fauillas
Eiaculans, quò vos, inquit, timor abripit hoſtis,
Indecores animæ? Venetus ſuccumbit Ibero,
Me duce? Germanæ trepidabit nomina gētis
Adriacum robur? Veneto iam pectore dignos
Iam reuocate animos, pudeat liquiſſe penates,
Vincat amor patriæ; patriæ ſacrare cruorem
Summus honor, moriar, ſed mors in gloria vitam
Non claudet, locus iſte cadet, non ſeruiet hoſti.
Ite, placet vobis, ſi vos ſubducere morti.
Viuite, ſolus ego capitis diſcrimina quæram,
Solus contra iſtas defendam mœnia turmas.
Si mihi fortè mori obtigerit, mihi gloria mortis
Fata pati, pulchramque pati inter vulnera mortem.
Dixit, & aſſumptis animis, ac robore miles
Perfurit in Martem, collatis vndique ſaxis
Congeſta tellure locos inſtaurat hiantes,
Accumulatque ſimul terræ tabulaſque, trabeſque;

Quod-

Quodcumque occurrit manibus numinen ad
ictus
Aggerat obijcibus; surgunt ad sidera muri
Mole noua; subitam Germanus conspicit arcem,
Obstupet, ardescit; plenis iubet ire metallis
Fulmina, terrifico quæ propugnacula pulsu
Discutiant, cerebroque fatigent verbere muros.
Tollitur insignis clamor, rapit ęthera puluis,
Ac pandit vallum rupta compage ruinam,
Clade patet castrum; Germani corpora in arcem
Vlturi sua fata ferunt; spisso agmine trudunt
Se se innixi humeris, tolluntque per ardua scalas
Apponunt muris, tentatque inuadere vallũ.
Hic noua fit cædes, crudescunt prælia, nigrans
Telorum iacitur nubes & saxeus imber.
Sternuntur, scãduntq; repercutiũtq, ruuntque
Omnia dant luctum, horrorem, rabiemque doloremque
At noua Germanus semper molimina tentat,
Integer & lasso hostiles succedit ad ictus,
Diruta compositi scandunt curuamine dorsi,
Obijciunt clypeos duræ testudiuis instar,
Irrumpuntq; viam. Populi quis fata cadentis
Carmine complecti valeat? quis multa ferre
Vulnera; quis cædes? Dum barbarus ingruit hostis;
Et cæco clamore furit, cepere Mianum
Millenos inter gladios, vinctumque catenis
Ad nigri gelidas raptarunt carceris vmbras.
Iamque Aquilæ vexilla volant, iam Cæsar in oris

Clamatur Venetis Princeps, iam Lilia cœlo
Liberiore fluunt, parto plausere triumpho
Agmina, victricesque tulere ad sidera voces.
Vidit in obscuris Pallas diuina tenebris
Æmilium, quæ ad sacra volens traducere castra
Vtile nacta sibi tempus, stipata cateruis
Aligerum, firmo deiecit cardine postes,
Cœlesti terram pellens, & lumine noctem
Talibus alloquitur. Queis te fortuna periclis
Exposuit, dignosce precor; quid bella tibique
Profuerint humane, vides. Mea bella ciere
Iam placeat; non vita meis carissima castris
Funditur; haud petitur crudeli vulnere sanguis,
Surge age, tende manus, soluuntur vincula, velox
Ne sequere; In stygias tentabimus arma phalanges.
Pro cœlo bellum capimus; certamine cœlum
Cœlica felici fortunat sidere; quales
Proh tibi propitius comites sociabit Olympus,
Qui sacrata crucis plures vexilla per oras
Portabunt, spolijsq; feri Phlegetontis onustim
Ad cœli referent Capitolia celsa triumphos,
Dixit, & appresum manibus de carcere ducit
Æmilium, vigilesque suis excęcat eundo
Excubias radijs; oculis per tela, per hostes
Subtrahit humanis, tenuesque recedit in auras.
At secum voluens animo, quot cōmoda cœlū
Æmilius tulerit; media quòd cæde suorum
Saruauit viuum, quòd se subduxerit hosti
Incolumen, Valeant, dixit, certamina Martis,
Et

Et cessent reboare meas tormenta per aures.
Hasta vale, lorica vale; me bella tonantis,
Me noua castra vocant alius stipendia miles
Iam tua, Christe, sequor, collectoque agmine pubis,
Quam cultus vexabat inops, vexabat egestas,
In subricas, ducente Deo, profectus in vrbes
Molliri bellum vitijs incepit, & Orco.
Hic sua contineat certamina Scipio, versos
Næue Numantinæ muros deprædicet vrbis,
Æmilius, quocumque peti, debellat Auerni,
Innumeros virtute greges, & Ditis iniquas
Detegit insidias; Venetam dum pergit in vrbem,
Sternit auaritiem; pictis vestita tapetis
Atria denudat, nummisque exenterat arcas,
Subsidium, miseris; sed quos Vicentia morbos
A te non pepulit, quibus aut Verona periclis
Te non exemit; pueros cum patre carentes
Extulit ipse parens, orbas cum matre puellas
Legit, ne turpi vitiarent corpora quæstu?
Sed tunc Tartarei confregit cornua tauri,
Brixicolas cum dura fames vrgeret, & ipsis
Mendicata priùs partiret pabula egenis.
Insubricam funesta lues infecerat vrbem,
Corpora iãq; solo tumulis viduata iacebant,
Hinc pater, inde puer moritur, fraterque, sororque
Tristia languentes animas per fata trahebant.
Cum mõstrum lethale luis iugulare laborat.
Æmilius, placidisque prius spirantia verbis

Agmina ſolatur; fluido medicamina morbo
Applicat, & proprijs effert enecta lacertis.
At qui vipereas vitiorum vicerat artes,
Vincere ſe voluit, ſcabræ cum celſa Somaſchæ
Luſtra petens corpus nodoſis cædere flagris
Inſtituit, recreare leui ieiunia victu,
Fonte leuare ſitim, gelidoque recumbere ſaxo.
Iſta fuere ſuo præclara trophæa Mianus,
Corpore quæ retulit; Pallas quæ cælica cernens.
Expedijt currum, deuicto vt corpore terris
Æmilium ſuper aſtra Ducem vectaret ouantem.

Canebam.

DE

DE BEATO HIERONYMO ÆMILIANO

Congregationis Somaſchæ Fundatoris.

Cuius Apotheoſis ab Apoſtolica Sede quamprimùm expectatur.

VATICINIVM.

Habitum Romæ in Collegio Clementino.

Anno M. DC. XXXI.

DEſinar egregias longæua abolere vetuſtas
Heroum laudes, auidis nec dentibus æuum
Corrodat pia geſta ducum; ſed priſca nepotes
Erudiant exempla nouos; à laude parentum
Accipiant ventura fidem, miretur & orbis
Æthereis quot terra viros redimiuerit aſtris
Aſpice, Roma, Patrem; iam tempora deſine longæ
Dinumerare moræ; ſolertis pollice Apellis
Pictus adeſt oculis, aderat qui viuidus olim,
Spe maior, fama melior, venerare, Beatus
Iam iam lætiſono dicetur ab orbe Mianus.
Hæc ego, ſi Aonides pandent Helicona ſorores,

Fatidicus secreta canam; Vox gloria gentis
Romuleæ obtestor, Tyrio qui murice vestes
Pingitis, & totum sacris qui Ritibus orbem
Imbuitis, iunctis audito carmine votis,
Æmilium superos inter committite Diuos.
Cesserat Æmilius fatis & ad astra volarat,
Cum soboles Erebi,noctisq;infausta propago,
Deformis Genius, cui sunt inuisa potentum
Gesta virum, famam cæcis velare tenebris
Æmilij statuit, fumoque inuolere laudes.
Hic fuit, elapsis rigido sub principe sæclis,
Christicolum violare genus, delere supernas
Qui leges voluit, cœlo & fidissima quondam
Pectora propositis gladij terrere periclis.
Ille per Odrysias Orci vexillifer oras
Intulit infrendens Othomanæ cornua lunæ,
Ægyptum,& cultæ viridãtia Phocidos arua,
Regna Palestinæ, gelido cum Bystone Dacos
Inuasit; quid plura velim percurrere, quando
Illyricos penetrando sinus Epidannia turbis
Regna suis Veneto rapuit subiecta Leoni?
Hic fuit ancipites credentũ ad colla secures,
Qui cudit miseris posset quò sternere pœnis
Surgentẽ Christi sobolẽ; Agrippina Nerones
Iulia non peperit, Didios non Clara, Seueros
Fuluia non genuit,Stygij sed monstra fuerunt
Antri, quæ nigro dimittens carcere Ditis
Edidit in lucem, iucundæ vt munera lucis
Christicolis raperent,soliũq;in cæde locarẽt.
Nunc etiam Adriaci Patris ne numen adoret
Orbis, & extinguat fidei inuiolabile pignus.
Quod non tẽtat opus,quas nõ exardet in iras?
Vrgo Somaschensis cęlo non vltima Vestas
Addictas inter, merentem squalida vultum,
Anxia sollicito voluens sub pectore diram
Et

Et Genij rabiem, natorum & damna suorum,
Tendere mæsta parat mox Religionis in
 ædes,
Et casus narrare suos. In vertice regnans
Hæc Vaticani, solio considit eburno
Arbitra, cui simplex capiti supereminet ales,
Eiaculans tenuem niueo de corpore lucem,
Culta tiara vagos trino diademate crines
Cōtegit, atque humeros cōuestit palla cadēti
Syrmate, ducta femur cingit stola sceptra, py-
 ropis
Non rutilant, geminas sed stringit dextera
 claues.
Hùc niueis venit circumstipata puellis,
Virgo Somaschensis, positum mox prona Se-
 natum,
Et summam venerata Deam, sic ore profatur.
Christicolum regina potens, dilecta tonanti,
Quam cęlum, quam terra colit, mens proui-
 da, mentis
Conscia diuinæ, interpres, præsaga futuri,
Semideos tu sola potes coniungere diuis,
Et meritis conferre decus. confringe tumentes
Tartarei cristas Genij, quot vbique tenebras
Offundat miseris mortalibus, aspice; diuos
Spernat vt ille, vides; sensit reboare per
 omnes
Vrbes Æmilij famam; pia numina votis
Supplicibus rogitare viros, quas negligit ar-
 tes,
Vt clarum obscuret terra caligine nomen?
An mea sic soboles meruit? succumbet Auer-
 no,
Infernum toties quæ debellauit ouantem?
Ergò vera Fides, Fideique columna labascet,

Frigeſcit Pietas, toto regnabitur in orbe
Vana ſuperſtitio, damnati numinis error?
Diuinus me tangit honos; hæc verba profundo
Corde fluunt; quid clara mei miracla Miani
Promam, quid laudes memorem? non illa cateruam
Aucto pane aluit; rigido non marmore lymphas
Elicuit, fluido extinxit non vlcera tabo,
Claudaque non firmis ſolidauit corpora plantis?
Nonne pia æratis lacerauit membra flagellis,
Entheus atq; animo ſuperas abreptus in oras
Pallida vertentes ieiunia duxit in annos?
Angelica laus quanta manus habuiſſe miniſtras,
Montanos domuiſſe lupos, pepuliſſe phalanges
Corporibus Stygias, cunctos vt ferret ad aſtra
Inſubricas peragraſſe plagas? ſi debita poſco,
Si tantum merui, vires compeſce tyranni,
Si lubet, Æmiliumque choris adſcribe beatis.
Excepit facili ſubmiſſas aure loquelas
Religio, riſuque oculos ſuffuſa benigno,
Siſte præces, inquit, vanumq; remitte timore?
Æmilij ſat geſta mihi ſunt nota, quod optas
Virgo tenes, & mox poterit quoque terra Mianum
Noſcere conſcriptũ ſuperis: confidere verbis
Virgo potes tranquilla meis; rem cernere totam
Sed ſi fortè velis, oculos hùc dirige, cœlum
Aurata mox claue aperit; patet aula tonantis
Regia, cæruleis panduntur limina campis,
Æter-

Æternis vbi clara nitent conclauia flammis,
Hìc ſellas inter varias aurata refulget
Chryſolitis ornata vagis, onerata ſmaragdis;
Florida quam roſeis depicta coloribus Iris
Circuit, & ſcripto titulus diagrammate obambit,
Obſtupuit mirata loci ſpectacula vaſti
Virgo Semaſchenſis;dubiam ſed prouida mentem
Relligio docuit, pretioſa ſedilia curuo
Anne vides giro, totum replere theatrum?
Hæc ſunt,ſi neſcis, cœtum dum conuocat omnem,
Quæ poſui calcata Deus ſuper aſtra beatis.
Aſpicis omnigeno variatam emblemate ſedem
Luce ſuperfuſam? tituli lege verba; Miano
Sella Parata; librum, quem ſeptem gemma ſigillis
Obſerat, an cernis? proh quot ſecreta recondit,
In folijs quot clauſa latent? hic ſcripta adamante
Nomina ſunt diuum,ſæcliſque arcana futuris,
Euentus habitura ſuos, digeſta per omnes
Ætates, hìc cuncta leges miracula Patris
Æmilij, hìc ductos rigido ſub tegmine ſoles,
Quod cupis, ecce, tibi deſcribitur ecce, quìd vltrà
Spé trahis? hìc apices oculis aduerte notatos?
Noſcere characteres: ò nomen amabile cælo,
Nuntius ò terris iucundus; In orbe Mianus
Ecce Beatus Erit, ſicut iam regnat olympo.
O dignum pietate virum, quis iuſtior illo,

Quis magis ætherei flammis exarsit amoris?
Cur magè permeriti diuo tribuantur honores?
Quando erit illa dies, albo signanda lapillo,
Qua te sacrificis templi venerabimur aris,
Qua dabimus pia tura focis, ò fiat, ò vnquam
Vrbanus mæstæ soletur vota Somaschæ.

Canebam.

IN

In Aſſumptione
B. MARIÆ VIRGINIS.

EPIGRAMMATA.

Reginæ plures ſibi coronas detrahunt, vt Virginem redimiant.

Explicatur idem argumentum diuerſis carminibus, atque ſententijs.

CLEOPATRA.

INuiſas inuita trahor Regina per oras,
Geſtiat vt damnis Roma ſuperba meis:
Illa ego, Niliacos quæ traxi in vincula reges,
Illa ego, Cæſareus quam ſibi iunxit amor.
Pœnas digna luo; ſacris tu Virgo catenis,
Traxiſti ad ventris viſcera caſta Deum;
Iam tua Niliacus præcingat tempora Iaſpis,
At mea, quæ pectus mordeat, Aſpis erit.

ZENOBIA.

Se Regem Regum, ſoli: lunæque parentem,
Stellarum ſocium Dux modò Perſa canat;
Namque ego de Syrijs educẽs agmina regnis,
Humanum docui poſſe perire decus.
Sidera detraxi capiti; tibi ſidera Virgo,
Supplex, vt cingant tempora ſacra, fero.
Non niſi flammigeris debes redimirier aſtris,
Ad ſponſi thalamos dùm ſuper aſtra volas.

CAS-

CASSIOPEA.

Mollia torquere blando quòd lumina vultu,
Quòdq; darem teneris mista ligustra rosis;
Cęlica Nereides vicit mea forma puellas,
Cessisset victrix aurea poma Venus;
Cerno sed æthereo quales in corpore formas,
Virgo petit superas dum rediuiua plagas?
Luna erit in cęlis magè splendida; cedo coronam.
Sidus ero saltem Cassiopea polo.

IVNO.

Me cæli Dominam stulti cecinere poetæ,
Aurea & auratis serta dedere comis;
At dum sidereas Virgo peruasit in arces,
Aurea serta capit, sceptra beata rapit;
Garrula vel Diuos deludet fabula? Iuno
De falso tantùm numine, nomen habet.

OLYMPIAS.

Quòd decor in roseo splenderet Olympicus ore,
Æmula quod stellis lumina bina forent;
Edita materna compellor Olympias aluo:
Congrua præclarum symbola nomen habet,
At dum pulchra tuos admiror, Virgo, nitores;
Informis formæ sit mea forma tuæ.
Sertum pono libens; Virgo sit olympia: pono
Nomen Olympiadis: Terrea nomen erit.

BER-

BERSABEA.

Mollia dùm vitreo tergebã membra lauacro,
Ad rapta à Solymo principe regna vocor.
Nil rapis, ætheras Virgo, dum tendis ad ædes,
Sed terræ ad cæli te rapit astra Deus.
Accipe iam sertũ, redeant tibi furta merenti,
Debeo, quæ rapui, reddere serta polo.

CARTHISMANDVA.

Inuicta extremos tenui Regina Brigantes,
Coniungis & traxi ad ferrea vincla pedes,
Exijt at laqueis, concito milite, sertum
Arripuit, vinxit post mea terga manus:
Ille meum tibi, Virgo, dabit diadema: dedissem
Sed dare qui poteram; sumere si volui?

ARIADNA.

Angelicis stipata choris dũ, Virgo, triumphas,
Summaq; deuicto regna Acheronte petis,
Quàm benè lucifluus vestit tua corpora phębus,
Excipit & niueos quàm bene luna pedes?
Expectant quid serta comæ? super æthera Bacchus
Te mea, quò cingant, astra nouena tulit.

HYPSICRATEA.

Non mihi sat visũ, thalamos sociasse iugales,
Quin sponsum volui per fera bella sequi;
Fortia diducto muniui pectora ferro,

Con-

CASSIOPEA.

Mollia torquerẽ blando quòd lumina vultu,
Quòdq; darem teneris mista ligustra rosis;
Cęlica Nereides vicit mea forma puellas,
Cessisset victrix aurea poma Venus;
Cerno sed æthereo quales in corpore formas,
Virgo petit superas dum rediuiua plagas?
Luna erit in cęlis magè splendida; cedo coronam.
Sidus ero saltem Cassiopea polo.

IVNO.

Me cæli Dominam stulti cecinere poetæ,
Aurea & auratis serta dedere comis;
At dum sidereas Virgo peruasit in arces,
Aurea serta capit, sceptra beata rapit;
Garrula vel Diuos deludet fabula? Iuno
De falso tantùm numine, nomen habet.

OLYMPIAS.

Quòd decor in roseo splenderet Olympicus ore,
Æmula quod stellis lumina bina forent;
Edita materna compellor Olympias aluo:
Congrua præclarum symbola nomen habet,
At dum pulchra tuos admiror, Virgo, nitores;
Informis formæ sit mea forma tuæ.
Sertum pono libens; Virgo sit olympia: pono
Nomen Olympiadis: Terrea nomen erit.

BER-

BERSABEA.

Mollia dùm vitreo tergebã membra lauacro,
Ad rapta à Solymo principe regna vocor.
Nil rapis,ætheras Virgo, dum tendis ad ædes,
Sed terræ ad cæli te rapit astra Deus.
Accipe iam sertũ, redeant tibi furta merenti,
Debeo, quæ rapui, reddere serta polo.

CARTHISMANDVA.

Inuicta extremos tenui Regina Brigantes,
Coniungis & traxi ad ferrea vincla pedes,
Exijt at laqueis, concito milite, sertum
Arripuit, vinxit post mea terga manus:
Ille meum tibi, Virgo, dabit diadema: dedissem
Sed dare qui poteram; sumere si volui?

ARIADNA.

Angelicis stipata choris dũ, Virgo, triumphas,
Summaq; deuicto regna Acheronte petis,
Quàm benè lucifluus vestit tua corpora phębus,
Excipit & niueos quàm bene luna pedes?
Expectant quid serta comæ? super æthera Bacchus
Te mea, quò cingant, astra nouena tulit.

HYPSICRATEA.

Non mihi sat visũ, thalamos sociasse iugales,
Quin sponsum volui per fera bella sequi;
Fortia diducto muniui pectora ferro,

Con-

St Contorsi inuicta spicula sæua manu.
abit inerme caput? rutilam cape, Virgo, coronam,
Vt gestem galeas en mihi rado comas.

ARTEMISIA.

Dono tuis rutilum, Virgo, diadema triũphis,
Tristi de fato quos super astra vehis;
Æmula Mausoli struxisse busta sepulchro,
Astrifer exciperet ni tua membra polus:
Cum tamen ebiberim cineres, cape Mausoleum,
Et quod amoris erat pignus, honoris erit.

HESTER.

Pulchrior accitis fuerim quòd virgo puellis,
Rex dedit ambitiosijs aurea serta comis;
At tibi, Virgo, magis casto nitet ore venustas,
Atque micas sertis dignior ipsa meis:
Hoc igitur præcinge tuam diademate frontẽ,
At mihi sufficiet, Virgo, secunda domus.

MARGARITA.

Hostica palantes induxi ad prælia gentes,
Sustinuique mei Martia signa viri.
Hinc meritæ ornarunt gemmæ mea tempora, quamuis
Pulchrior & gemmis Margaris ipsa forem;
Sed tibi cum tribuant Reginę, Virgo, coronas;
Margaris ornabit non tibi, Virgo, caput?

VA-

VALASCA.

Regibus vt raperem florentia regna Boemis
Duxi fœmineas ad ferra bella manus.
Bellaui, vici, rapui; felicibus armis
Proſtraui imbelli haud agmina fulta viros,
Quàm melius, Virgo, cingunt ſibi ſerta capillos?
Quàm meliùs quatiunt gemmea ſceptra manus?
Sum ſertis indigna meis; tibi defero ſerta,
Ipſa homines necui, ſubtrahis ipſa neci.

IVLIA AGRIPPINA.

Cur ſæuum effudi materno viſcere monſtrũ?
Miſſa fui Lybicis forſitan vrſa plagis?
Infelix: Tu, Virgo, paris (ſacra pignora) natum,
Dat tibi ſerta vterus, qui mihi ſerta rapit.

DIDO.

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens, querulis & petit aſtra notis,
Quid fortuna meos voluiſti cingere crines,
Florida quid ſceptro ſubdere regna meo?
Si turpis iaceo deuicta cupidine amoris?
Si vigil in cæco corde triumphat amor?
Fronte corona cadat; debet geſtare coronam,
Non Dido infelix, ſed ſacra Virgo, meam.

CANDACE.

Grata fui populis, Reginis nomina cunctis
Ipſa dedi: Æthiopes me coluere viri:
Sed

Sed tibi, Virgo, Dei repleuit gratia pectus,
Concidit ante tuos purpura neque pedes.
Sertum prona fero; gemmatū Candacis orbem
Non nisi Virgineus candor habere meret.

LEDA.

Tyndareos infida toros violasse, tonantis,
Vt turpi fruerer dicor amore Iouis:
Per me fatalis ceciderunt mœnia Troiæ,
Arcis dum reuocant agmina Græca faces:
Iam mea Troianis tumulatur gloria flammis,
Et liquet æternis fulua corona rogis:
Tu pia, Virgo, Deum castos trahis æthere in artus.
Cordaque supremi luminis igne foues.
Leda fui consueta viros & lædere; Ledæ
Sertum, quæ nescit lædere, Virgo habeat.

MANDANE.

Luxuriare meo genitor de viscere vitem
Vidit, & Asiacas fronde operire plagas:
Impius inuidit natum regnare, necandum
Tradidit, & potuit sic ferus esse pater?
Veram, Virgo, tuo fudisti è viscere vitem,
Expandit ramos quæ super orbe suos.
Iam mea serta tibi dono, diademata nati
Donassem; at nato sustulit Astyages.

PENTESILEA.

Virgo triumphato transcendit in æthera mundo,
Et trahit in cælis ad sua iura Deum.
Effe-

Effera quìd duco lunatis agmina peltis,
  Fœmina belligeros quid petit ense viros?
Virgo, tibi diadema sacro, tuus iste triumphus,
  Non homines bello, at vincere pace Deum.

CAMILLA.

Fortia sublimi librabam corpora saltu,
  Lambebantq; leues gramina summa pedes;
Virgo, sed aereo tranasti sidera curru,
  Vicisti, cælo te mea serta manent:
Quæ laus est rapidas præuertere cursibus auras,
  Si quæ sustulerat, deprimit aura solo?

PLACIDA.

Vertere Romanas hostis dum nititur arces,
  Et fera crudeli bella mouere manu:
Tristia conuersum lenui in prælia regem,
  Molliui placidis ferrea corda modis:
Diruere ignifero statuit dum fulmine terras,
  Componit surgens Virgo per astra Deum;
Quìd iactem mea verba? tibi fero, Virgo, coronam,
  Laus est parua hominem flectere, summa Deum.

AMALASVNTHA.

Germanos pepuli, Burgundos agmine vici,
  Compuli & Italicis tollere castra plagis:
Italiam tenuere Gothi, me Principe, dextræ
  Firmauique armis Itala regna meæ.

Saluasti, Virgo, deuicto dæmone mundum,
Num magis inuictæ gemmea serta dabo?

SABA.

Mellea quàm resîdet verborum copia labris
Virginis, i. radiat quàm vaga membra color?
Suscipe, quàm possum tibi tradere, Virgo, coronam,
Nam mihi, tanta dedi munera, nulla manent.
Si quoque vixisses Salomonis tempore, haberes
Diuitias docto pro Salomone meas.

BERECINTHIA.

Ardua, Virgo, poli ritulans dũ nubila tranas,
Sidereo Dominam te locat axe Deus.
Posthac nulla igitur terram regina tenebit?
Sertum, quod terram sustinet, ipsa fero.

CREVSA.

Scriniolo inclusas misit mihi callida flammas
Medæa, & patrios sustulit igne lares.
Virgo, tibi natus dimisit ab æthere linguas
Ignitas, vssit corna sacrata focis.
Diuersæ stant igne vices; cape, Virgo, coronã,
Tu succensa animos, corpore adusta fui.

MONYMA.

Omnia dum validi sternuũtur castra mariti,
Miles & immiti quilibet ense cadit,
Seri-

Serica detraxi capiti diademata, collo
Obduxi, inferrem quò mihi sæua necem.
Claudere sed renuit fauces diadema; feratur
Virgo tibi, haud laqueo regia membra cadunt.

BERENICE.

Cum mihi messuerim nitidos pro coniuge crines,
Protinus ad Veneris lucida templi tuli,
Cypride pulchra magis Virgo: quæ munera tradam?
Sacrabo reliquas num tibi, Virgo comas?
Attulit in cœlum versos in sidera crines
Cypria; circundent hæc tibi, Virgo caput.

SISIGAMBIS.

Tàm speciosa meo ridebat gratia vultu,
Vt possem superos illaqueare Deos:
Deuicto captiua fui Regina marito:
Quis tibi Alexander tanta prophæa dedit?
Virgo, tibi gemmata fero diademata; misit
Quæ libertatem, gemmea serta feret?

ORITHYA.

Me rapuit patri Boreas, me cedere regnis
Atthidis heù voluit; quæ tibi, sponsæ, fides?
Non ego Cecropijs Princeps dominabor Athenis?
Ad culta Æolijs deferat antra notis?
Heù rapior: iunctam regno tibi linquo coronam,
Virgo, ero nã posthàc spiritus, aura, nihil.

De Glorioſa B. MARIÆ VIRGINIS CORONATIONE.

ANAGRAMMATA.

Gaude Maria virgo Deipara cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo Mundo.

ANAGRAMMA.

CInge, Virago, tuos rutilo diademate crines,
Sacra parens hominis munera ſume Dei,

Aliud.

Aſſumpta eſt Virgo ad Cęlum, in quo gaudeant Angeli laudantes benedicant Dominum.

Anagramma.

Lingue ſolum, conſcende polum, redimita Virago,
Gaude, nata Dei, nam noua ſerta dabunt.

Aliud.

Aſſumpta eſt Deipara Maria in Cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

Anagramma.

Sume poli, benedicta parens, delata nitentis
Munera, dum regni ad gaudia ſumma vocant.

Aliud.

Tota pulchra es amicà, ac vt lilia inter ſpi-

ſpinas, Cœloque nitens porrigis io, ecce omnia.

Anagramma.

Angelicis ſtipata Choris, inuectàque Olympo
Inclita Regales accepit Virgo coronas.

Aliud.

Aſſumpta eſt Virgo Maria in Cęlo, ac omnium Regina ſtellato nunc ſedet ſolio.

Anagramma.

Sidera Cœleſti cingent mea tempora ſerto,
Illa ſua à ſummo lumine ſigna vocant.

Aliud.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus ſancta Maria.

Anagramma.

En ſitibunda tuum tradunt tibi ſidera ſertum,
Abſit ne vt ſeruis filius, ecce caue.

Aliud.

Maria Virgo ſuperis iuncta en terris ſurgit.

Anagramma.

Virginis auratis cinguntur tempora ſertis.

Aliud.

Aſſumpta eſt Virgo Maria in cœlum.

Anagramma.

Imponunt almis en vaga ſerta comis.

Aliud.

Ieſus Rex tantus parentem capit, & ornas.

Anagramma.

Te Pater, & natus, te Spiritus axe coronant.

Aliud.

Maria virgo aſſumpta eſt in Cœlum.

Anagramma.

Summo Virgo ſua lumine ſerta capit.

Aliud.

Cœlestis Virgo specie tua, ac pulchritudine mea intende prosperè procede, & regna, lumen, & luna maris, nitor gentis, Cœli sidus, cara salutis nuntia, terribilis vt castrorum acies, atrium Regis beatum, & nisi nata Dei Dea mater Maria.

Anagramma.

Serta præcingant capitis capillos,
Et manus sceptrum nitidas adornet,
Membra Cœlesti videat Virago.
Sidere cincta.
Veriùs morte en iugulas suaui.
Luce nascenti, radijs nitendo
Clara terrestri heu tumulo resurge in
Ætherea ab imis.

BEATAM VIRGINEM

In tot belli, pestis, famis calamitatibus, allaturam orbi cadenti opem, ostenditur.

ENBLEMATA.

Columba cum olea ramo virenti.
Ex lib. Gen. c. 8.

INclyta demersi quondàm compendia mundi,
Terrarumque ingens cymba vehebat onus;
Vtque oleæ ramum defessa columba virentem
Attulit, exhaustis arca resedit aquis,
Tu nunc sanguineo, fluitat dum gurgite mundus,
Deseris heu nostrã sacra columba ratem?
Sanguine humus tegitur, superum pete culmina, oliuam
Astra dabunt; oleam bellica terra negat.

Phœbus contra Pythonem.
Ex Mithologis.

Vandalicus nostras dum perfurit Hydrus in oras,
Auspice te, Virgo, pulsus in antra fugit:
Sic Phœbi cecidisse ferunt Pythona sagittis,
Cum sæuo Græcas perderet ore plagas:
Ille manu, & iaculis horrentem perdidit anguem,
Est tamen ista tui laurea tota pedis.

Diana simulachrum, quod contra Ætolos illatum, illos vertit in fugam.
Ex Plut. in Arato.

Figere in aduersam Triuiæ sua lumina formam
Nemo poteſt, ſtupidos nam facit illa viros,
Sic quondam contra Ætolos illata maniplos,
Compulit infami vertere terga fuga;
Quis tecum, Virgo, valeat conferre Dianam,
Si curuata tuos excipit illa pedes?
Inſurgant modo bella licet, dum ſurgit in æthram;
Maieſtate tui numinis acta cadent.

Angelus Sennacheribi exercitum ſternens.
Ex lib. 4. Reg. cap. 18.

Aſſyrius Solymæ cingebat mœnia Princeps;
Sanguineo vt ſacras verteret enſe domos,
Cęleſtis patrio miles cum venit Olympo,
Agminaque armata ſtrauit iniqua manu,
Turbabant Italos hoſtilia prælia fines,
Feſſaque ſub rigido Marte gemebat humus,
Aliger haud terras, cælum ſed Virgo petiuit,
Attulit ille necem, ſuſtulit iſta necem.

Tutula ingenioſo ſtratagemate Romam à Sabinis obſeſſam liberans.
Ex Plut. in Camillo.

Dum premit Auſonios armato milite muros
Hoſtis, & albenti ſternere luce putat;
Tutula ſublato Romanos euocat igne,
Et

Et libertatis serua tuetur opes.
Germanos infesta volant vexilla per agros,
Miles & vrbanas diripit ense domos,
Sed pia Virgo animat iunctos in prælia reges,
Ancilla, & summi Principis illa fuit.

Nauis cum tritico. Ex Prou. c. 31.

Cærula longinquo veniens ex æquore nauis
Triticeas nostro in litore fundit opes,
Virgineum ingreditur ventrem Deus, illa latentem
Deuehit, & panis præbet in orbe Deum;
Terra neget fruges; homines si pane carebunt
Terreno, æthereum iam pia Virgo dedit.

Halcyone in scopulo, quæ maris tranquillitatem portendit.
Ex D. Ambr. ex lib. Hexam.

Seu Boreas tumidis in litora sæuiat vndis,
Seu notus elati sidera pulset aquis.
Alcedo in scopulo nidum si collocet, omnis
Ponit inexpletas æquoris vnda minas;
Fluctuet immani bellorum turbine mundus,
Sanguinis & calidas æstuet inter aquas,
Exprimit Halcyonem Virgo rediuiua, salutem
Nunciat illa salo, nunciat ista solo.

Virgo inter Leonem, & libram signa celestia.

Ne Leo succendat radijs feruentibus orbem,
Neue sub irato iudice causa cadat;
Erigone mollitque animos, & temperat iras,

Obliquo mediam nam tenet orbe domum;
Fidite mortales, irati flammea cæli
Sidera mitescent, æthera Virgo subit.

Amalthea Iouis nutrix.
Ex Mythol.

Nutrix esse Iouis, si quando Iupiter infans,
Dicitur hæc, puero lac dedit illa Ioui,
In cælũ translata fuit, dehinc nectar Olympo
Depluit inque homines, defluit inque deos.
Vbere de *cælis* pleno sacra Virgo tonantem
Nutristi, hinc supero te locat axe Deus:
Mater es, & virgo, nutrix fuit illa, tonanti
Illa dedit nectar, nectareum ipsa facis.

Mulier innixa columnæ.
Ex Valer. lib. 43.

Quæ virides gestat laurus innixa columnæ
Nos omni tutos Virgo timore monet.
Quis metus humanas poterit percellere mentes?
Sponso innixa suo sidera Virgo petit.

Aten noxiam tres Litæ depellant.
Ex Homil. lib. 19. Il.

Tres natas, mundũ volucris cum lederet Ate
Altitonans supera misit ab ace Deus;
At modo cum ternis iactetur terra periclis
E terris Mariam tollit ad astra Deus,
Olim tres vnam pepulerunt orbe ruinam,
Tres Italis noxas nunc fugat vna plagis.

Dra-

Draco ante mulierem parituram, vt filium voraret. Ex Apoc. Ioan. c. 12.

Squamiger exertis aſſurgit faucibus anguis,
Progeniem mulier dum paritura dolet,
Torquet ad inſidias ſinuoſa volumina, pennis
Illa ſed aſſumptis auia luſtra petit:
Ecce draconigenas effudit Suedia, natos
Vt Mariæ non iam dente, ſed enſe vorent,
In ſua ſed Scythici remeabunt antra dracones,
Aligerum pennis Virgo per aſtra volat.

M. Coriolanus Romam obſidione premens. Ex Plut. in Coriol.

Martius en patrios ſcelerato milite muros
Obſidet, & ciues ſternere cæde parat,
Flectere non illum ſacri potuere miniſtri,
Ponere maternus bella coegit amor,
Chriſticolum quam ſæua premunt certamina terras,
Quàm fudit ſæuos hæreſis atra Duces?
Qui valeat tantos belli ſedare tumultus,
Non alius, mundi quàm pia mater erit.

Ancilia cęlo delapſa. Ex Plut. in Num.

Hæreticas metuenda times quid Roma phalanges?
Magnanimo regnat non benè corde timor.
Millenis Virgo clypeis armata, rebelles
Ad tua non patitur ſurgere damna duces,
Cęlica te quondam ſeruarunt ſcuta, timebis
Si Virgo eſt turris, ſcuta vbi mille iacent?

Inditha Holopherni caput excindens.
Ex lib. Iudith. cap. 13.

Dum putat Hebræas Holophernes ſternere turbas,
Nec ſibi poſſe parem credit habere ducem,
Protegat vt ciues, armatum quærit inermis
Iuditha, & ſumpto demetit enſe caput,
Sic dum Germanas inhiat ſubuertere ſedes
Hæreſis, & Scythicas cogit ad arma manus,
Virginis auxilio proſtrata extinguitur, illinc
Si patriæ, mundi prouenit inde ſalus.

Arca fœderisque mænia Ierichuntinæ Vrbis diruit clangentibus tubis. Ex Ioſ. c. 6.

Vrbis ad aſpectum fertur vix arca, tubarum
Cum ſubitò ad ſonitum mœnia celſa ruunt;
Virgoque ſidereas vix cæli ſurgit ad arces,
Cum fera pugnacis hæreſis arma cadunt,
Par vtriuſque decus; dono ſed diſpare, ſacras
Res tulit illa Deo, ſed tulit iſta Deum.

Admirabilis Virg. de morte triumphus explicatur.

Tumulus Platonis, cui inſidet Aquila.

Spiritus è cælo quondam veniſſe Platonis
Dicitur, vt domini viſeret oſſa ſui,
Exuuias Aquilæ ſumpſit, libratus & alis
Expanſis buſtum conſtitit ille ſuper,
Labitur æthereis animus de ſedibus, artus
Viſitet

Visitet vt terris inclyta Virgo tuos,
Spiritus ille suum in corpus remeare volebat,
At tuus intactum corpus ad astra vehit.

Moles Hadriani, quam hodiè Castellum Sancti Angeli vocant.

Hic vbi sublimem cernis consurgere turrim,
Quam cingunt fossis mœnia ducta cauis.
Ælia erat moles; Michael sed penniger arcem
Istam cælesti lapsus ab arce colit,
Virgo in Idumæis stabant tibi marmore terris,
Vt caperent artus post tua fata tuos,
Turba sed aligerum, translato hìc corpore, sedit,
Liuor ita aligerum tangere corda potest?

Sepulchrum Achillis amaranthinis coronis proseminatum. Ex Philostr. in Ic.

Thessala purpureis amaranthi turba coronis
Æmonij sparsit saxea busta ducis:
Immortale foret clari quòd nomen Achill is,
Vt flos hìc virides tollit in astra comas,
Accipe quę tumulo traduntur Virgo coronas,
Immortale tui pignus honoris erunt:
Sol furat, humor aquæ desit, præ frigore vitam
Amittat; vitam viuida Virgo dabit.

Electra cum puellis cæsariem inueniens super Agamemnonis sepulchrum.
Ex Æschyl. in Cleop.

Vix Agamemnonium lugēs Electra sepulchrū
Visitat, & flauas cernit adesse comas:
Cum venisse suum subitò coniecit Orestem,

Vt functi coleret condita membra patris.
Quis neget angelicas volitasse ad busta phalanges
Virginis, Elysias dum tenet vrna rosas?
Scilicet à nostris rapuerunt lilia spinis,
Spinis cognatas & tribuere rosas.

Palladium in arce Troia.
Ex Virg. l. 2. Æn.

Desine Troiugenum miracula tollere, signum
Iam nec Palladium Troes in astra ferant:
Portentum nã maius adest; pro Pallade Virgo,
Celsis pro Troiæ mœnibus, orbis adest:
Attulit optatam Pallas, Virgoque salutem
Illa manendo dedit, hæc abeundo tulit.

DE

DE HÆRESI PROFLIGANDA

Anno M. DC. XXXII.

Vaticinia in Augustalibus Collegij Clementini.

LVDIS EDITA

Quo anno Gustauus Adolphus occisus est.

Vaticinium Primum.

InVenta est fortIs MVLIer: nVnC VIrgo LabantIs
hæresIs eCCe potens Conteret Ipsa CapVt.

Vaticinium Secundum.

DVM petIs, ò VIrgo, festIVIs astra trophæIs
ante perIt gressVs hæresIs aCta tVos.

Vaticinium Tertium.

astra petIs VIrgo: hæretICas hInC peLLe CaterVas
saCra VIget terrIs te DVCe tVta FIDes.

Vaticinium Quartum.

CVR Ita festIVIs plaVDIt ConCentIbVs æther?
an CæLos strato VIrgo DraCone petIt?

Vaticinium Quintum.

VIX IaCet hęretICI proſtrata potentIa regIs
Cęleſtes tranat CVM ſaCra VIrgo plagas.

Vaticinium Sextum.

tV petIs aD CœLos, CœLeſtIs VIrgo, sVperbæ
hęresIs InVICto tV peDe CoLLa terIs.

PESTIS, FAMIS, BELLORVM calamitates à Virgine diſcuſſas oſtenditur.

SVmpſerat omnipotens violenti fulminis ignes,
Vt triplici mundum vulnere contereret,
Iamque repentinis nutabat cladibus orbis,
Iam rea gens ęqui ſenſerat arma Dei:
Quis valeat ſontis delere piacula mundi
Quæritur, & tantas flectere voce minas:
Deſine terra Dei dextram trepidare minantis,
Mitis in amplexum Virginis illa ruit.

Aliud.

Non priùs infauſti requierunt claſſica belli,
Deſeruit noſtras quàm pia Virgo domos:
Quìd non ſub tali Domina ſperare licebit?
Quale dabit, ſi ſic deſerit, auxilium.

Aliud.

Effera compoſitis miteſcunt ſecula bellis,
Et terſo pharetram ſanguine tela petunt:
Ceſſat

Cessat bellorum sonitus, pax occupat orbem,
Virgo per aerias dum petit astra plagas:
Prisca Sabinarum sileatur fama, tulerunt
Bellum illæ pacem rapta Virago tulit.

Aliud.

Æthereum vix tentat iter rediuiua Virago,
Clarior & solis lumine celsa petit.
Cum surgit flauis vbertas aurea campis,
Messorum tardas increpat atque manus
Cernit enim Mariam lictis discedere terris,
Muneribus vacuam nollet abire Deam.

Aliud.

Pandit opes natura suas si versa, famesque
Si perit, & placido sidere gaudet humus.
Ne mirere, Ceres potuit quod diuite curru
Matrem adiens, natum Virgo aditura facit.

Aliud.

Bellorum quid cessat amor? quid buccina cantum,
Raucum oblita silet? quid negat arma furor?
Euentus quæ causa noui? cum Virgo reuisat
Cœlum, pax terris nascitur in medijs.
Terribilis castrorum instat salit illa, cohortes
Terrenæ æthereas pertimuere acies.

Dic vt lapides isti panes fiant.
Matth. 4.

Dum nullo Christus tenuaret corpora victu,
Et coleret solis tesqua habitata feris;
Aduenit assumpto dæmon sub corpore, panes
Vt fieri iubeat, frigida saxa gerit,

Stu-

Stituisse, ò vecors, in panem marmora verti
Dum tentas, vertet; tu petra semper eris.

Nonne & Catelli edunt de micis?
Matth. 15.

Sidonias Christus cum se conferret in oras,
Antè sacros iacuit fœmina strata pedes;
En mea nata, inquit furijs agitatur Auerni,
Et tenera immundus corpora dæmon habet
Sum canis, at domini nutrit quoque mensa catellos,
Sin pellis; Stygium tu quoque pelle canem.

Tolle grabatum tuum, & ambula.
Ioan. 5.

Languidus ad tremulas Salomonis venerat vndas,
Ægra vt saluificis membra lauaret aquis:
Forte aderat Christus, casu qui tactus acerbo,
Artubus an morbum pellere vellet, ait;
Ille quidem vellet, sed homo, qui mergeret vndis,
Commotis ægri corpora, nullus erat.
Surge, ait hìc Christus, veterisq; cubilia lecti
Tolle, hominem quæris? non ego factus homo.

Homo quidam erit diues. Lucæ 16.

Accubat ad mensam pretioso diues in auro,
Suggerit & lautas turba ministra dapes;
Hic gula delicias studiosa parauerat omnes
Om-

Omnigenos dederat culta coquina cibos:
Vnus erat, panis qui frusta rogabat egenus,
Nec tamen heu panis frustula egenus habet;
Cur epulo renuis neglectas tradere micas?
Vel cur deciduas non legit ille dapes?
An nisi te flectit miseri vox vna rogantis.
En quàm multiplicis vulneris ora petunt.

Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.
Lucæ 16.

Heù ne me miserum, diues, dimitte præcantem,
Ne tua, quæso, meis viscera claude malis,
Non posco argentũ, non auri pondera posco,
Sola meam frænet mica relicta famem.
Exiguas mihi, auare, negas concedere micas?
Pasco tuos proprijs carnibus ecce canes.

Pater da mihi portionem, quæ me contingit.
Lucæ 15.

Immundas, fili, mauis habitare tabernas,
Cùm tibi, cum seruis atria nostra vacent.
Nescis, heù nescis peregrinæ incõmoda vitæ.
Crede, mihi nimiùm membra fatigat iter.
Cum varias tandem mundi percurreris oras
Solus, lassus, inops patria tecta petes;
Sed tu, nè toties vocem patiare monentis,
Ne vè notet lusus virga paterna tuos:
Longinquas, incaute, cupis volitare per vrbes,
I, fuge, sed poteras tutior esse domi.

Do-

Domine, non sum dignus. Matt. 8.

Alta Capharnaicæ penetrat vix mæniat Christus
Vrbis, cum sacros dux iacet ante pedes.
En meus in lecto decumbit seruulus, inquit,
Occupat & sæuus languida membra dolor,
Non est, cur nostri venias in limina tecti,
Dic verbum, fiet sanus ab ore puer,
Quìd nequeat diuina fides? dimitte medentes,
Confide, & morbos pellere verba queunt.

De D. Thoma Aquinate.

E vestris calamum pennis aptate volucres
Aligeri, Thomas scribere plura cupit,
Ille per ingenuas doctum caput extuli artes,
Dumque studet, Christus sæpe magister adest:
Omnia ni scribat cœli secreta, docete,
Si non & vobis doctior ille fuit.

Improbam fœminam titione fugat.

Sensit, vt in thalamo solum lupa vinula ephæbum,
Turpesque incauto posse parare dolor;
Pergit, & argutis demulcens pectora verbis,
Suadet, vt officijs gaudeat ille suis?
Ignitum iuuenis viso discrimine lignum
Arripuit, & casto cogitabire lare.
Vtitur imbellem contrà quid torre puellam?
Furem virgueæ viderat esse niuis.

De

De vno, ex quadraginta martyribus, qui in tabefactum balneum desiluit.

Nocturnas sub aquis horas traducere præses
Martyribus iussit, dum fera sæuit hyems.
Non poterat gelidos vnus perferre liquores,
Frigida sed tepidis corpora mersit aquis,
Nō corpus, sed corda gelāt, dum balena tentas
Heu calida, in calidis mēs tibi friget aquis.

De D. Gregorio, cuius mensa Christus accubuit.

Obuia Gregorius disponit fercula mensis,
Vt pauper vires turba fouere queat.
Ille suis vinum manibus propinat in auro,
Conditas patinis porrigit ille dapes.
Accubat hic etiam vili sub tegmine Christus,
Gaudet & ingesto pascere membra cibo,
Non veniat Christus cur vestra ad prandia scitis?
Quod pauper vestra ad prādia nemo se let?

De sudore Christi sanguineo.

Dum tristis viridi Christus prosternitur horto,
Et supplex geminas tendit in astra manus;
Aduolat æthereo iuuenis demissus Olympo,
Qui docet instantis tempus adesse necis,
Christe, rubro mistum desudas sanguine rorem,
Subiectum & riguo proluis anne solum,
Immani terram vitio macularat Adamus,
Iste, vt purgetur terra, cruore lauat.

S. Crux

5. Crux arbori ahenea in templo Salomonis confertur.

Arbor in excelso Salomonis ahenea templo
Stabat, & è medio vena fluebat aquæ;
Nonne refert fontem, medio quæ pectore Christi
In trifida erumpit sanguinis vnda trabe?
Arboris illa omnes pellebat lympha dolores,
Dic, Longine crucis quid iuuat iste cruor?

De Beato Ioanne Dei.

Super domum nascentis radius affulget.

Prodit ad occidui vitales luminis auras
Ioannes, tecti & culmine flamma nitet;
An nouis in terris hodie nascetur Iulus,
Cum radius supero missus ab axe cadat?
Non venit ille polo demissus, at vndique natum
Emissus solem nuntiat esse nouum.

Ab irruenti Gallorum excitu liberatur à Virgine.

Quis furor in medios te miles, compulit hostes?
Quid cupis armata surripuisse manu?
Nonne vides plenis volitantia lilia campis,
Te Gallo cinctum milite nonne vides?
Verte pedem, fuge bella, fuge; imo siste pedes hic,
Adstat Virgo; sub hac Pallade tutus eris.

Li-

Libros hostenes donat, inhonestos adurit.

Hauserat æthereas Ioannes pectore flammas,
Nec poterat longæ tædia ferre moræ;
Protinus ad libros, denudat scrinia, donat
Innocuos, nocuos scindit, & igne cremat.
Ite libri, vestris inuentum sat corda Camænis
Arsistis, flammas altera flamma voret.

Virginis effigies oranti Ioanni se prodit, cum esset cortinis obleuata.

Virginei penetrat Ioannes limina templi,
Sollicitas humili fundat vt ore preces,
Pronas in occulta veneratur imagine Diuam,
Diaque se se oculis prodit imago suis,
Quidni siderei pateant tibi culmina templi,
Si tibi terreni panditur ara poli?
Audierat fusas veli sub tegmine voces,
Qui sic oraret, Virgo videre cupit.

Stultum se fingit.

Omnia commissas vulgat per compita culpas,
Fædaque Ioannes membra volutat humo,
Mox crucis assũpto centena dat oscula ligno,
Te sic insanum fingere posse putas?
Haud patitur cordi contraria fingere vultum
Diu amor; qui sic desipit, ille sapit.

Aperto semper capite peregrinatur.

Turbato præceps cœlo seu decidat imber,
Excipiatur albas sordida terra niues;

u Boreas sæuis conturbet flatibus æthram
  Ioannes velant tegmina nulla caput.
Non timet irato de missa incommoda cœlo,
  Intulerat sacrum iam super astra caput.

Christum infantem humeris gestat.

Non sat habes leuibus deferri, pupule; ab Austris?
  Sufficit Angelicas non tibi adesse manus,
Quid tibi, Christe, cupis nostras succumbere vires,
  Quid toties hominũ languida colla premis?
Scilicet astra duos poscunt gestanda gygantes?
  Christus Christophoros optat habere duos.

Aliud. In idem argumentum.

Lassantur fractæ pueri sub pondere vires,
  Et multus Diui sudor ab ore fluit;
An leue, Ioannes, reputas deferre puellum;
  Non puer est, humeris quem geris, at Deus est;
Ni labor Herculeus fesso sucredat Atlanti
  Vix cœleste senex tollere posset onus;
Christophori pateris ne vicem? sed maior es illo,
  Christophorus trunco nititur, ipse tibi.

Christi pedes sub specie pauperis lauat.

Pauperis vt plantas Ioannes proluit vnda,
  Defixa in plantis vulnera bina videt;
Suspicit,& Christum vili sub corpore credens
Pro-

Protinus in flammas cernit abire leues;
Debueras oculos sacro non figere vultu,
Si nescis, pro oculis auolat ille tuis.

Flammas illæsus ingreditur.

Flamma pias populata domos volitabat, & ignis
Iactabat rapidos tigna per alta globos;
Maior in ignito flagrabat pectore feruor,
Voluebantque alias æthea corda faces;
Irruit in flammas, & flammis extulit ægros,
Sic te, Ioannes, lædere flamma timet?
Cedat, qui pueros texit Babylonis ab igne,
Ille Deo similis, totus at iste DEI.

B. Virgo Ioanni ante crucifixum oranti spineam Christi coronam imponit.

Pendent exanimes mẽbris stillantibus artus,
Luget & ad nati cælica Virgo pedes;
Ingreditur tẽplum, & sacro sua stipite Diuus
Deposcit læto pectore plura pati;
Illicò descendit Virgo, capitique præcantis
Quæ Christi cingunt tempora, serta locat.
Audierat natum iam de Ioanne loquentem
Virgo sibi, mulier, filius ecce tuus;
Ioannem vt vidit; quidni daret illa coronam
Ioanni natum credidit esse suum.

Raphaelem Arcangelum habet in Nosocomijs administrum.

Æstuet impatiens curis lethalibus æger,
Extremumque trahat febre fruente diem;
Dum-

Dummodò Ioannes morituro vnguenta ministret,
Integer exiliet, qui prius æger erat.
Languenti quidni valeat conferre salutem,
Si Raphael secum est, si medicina Dei?

Panem multiplicat.

Sæua fames miseris mordebat viscera, panis
Quemque illis posset tradere, rarus erat.
Paucula collectis Ioannes frustula micis,
Diuidit, & Cereris crescere sentit opes;
Sint nitidis tibi, sponsa, manus repletæ hyacinthis,
Diue, tua est panis munere plena manus.

Biduum ieiuno tres panes cum amphora vini deferunt Angeli.

Errabat vastis Ioannes deuius agris,
Et longum fessus sollicitabat iter;
Bis iam Phœbus equos liquidis immerserat vndis,
Vllum nec cupido sumpserat ore cibum;
Afferret cum nullus opem, defixit Olympo
Lumina, & æthereo poscit ab axe dapes;
Ternos inde videt Bacchi cum munere panes,
Hanc tibi, Ioannes mittit olympus opem;
Gaude, dimidium Paulo Deus ante solebat
Mittere, tu Cereris munera terna capis.

Nixis genibus occumbit.

Senserat extremæ Diuus properantia vitæ
Stamina, ad æthereos posset vt ire lares.
De-

Desiliens lecto sacræ mille oscula figit
Inde cruci, flexo poplite & emoritur.
Fastosos deceat stantes occumbere Reges,
Vir nixis genibus religiosus obit.

Ad sepulchrum sanantur infirmi.

Hic vbi flammigeras suspēdit lampadas vrna
In paruo magnum clauditur orbe iubar;
Cernis vt affixis circumdatur illa tabellis,
Mutaque collatam vota loquuntur opem?
Nemo hic curuato Ioannem poplite adorat,
Qui sibi nō modicam dicat adesse manum;
Hùc cæci, hùc claudi, hùc surdi properare, salutem,
Quam tribuat, clauso à corpore marmor habet?
Ipse lapis traheret functo de corpore vitam,
Mortua sed reputat claudere membra magis.

Adhibita domus B. Ioannis humo mulier ab ægritudine conualescit.

Heu languet mulier, vitā cui fata reposcunt,
Discedunt oculi, cætera torpor habet:
Vix lentus tenues absorbet anhelitus auras,
Mortuaque in viuo corpore spirat adhuc;
Quem morbum nullæ potuere Machaonis artes
Pellere, de collo pendula pellit humus;
Solus homo primam traxit de puluère vitam,
Debuit & vitam fœmina habere ab humo.

Pla-

Plagam insanabilem curat.

Octauum rutilans Latona recurrit ad orbé,
Ex quo fœmineo fistula crure tumet;
Sydera sollicitat, Ioannem voce fatigat,
Exilit & plagis fœmina sana suis;
Non poterat Deus haud voces audire præcantis,
Os aperit duplex, duplicat inde preces.

Mulier tacto B. Ioannis baculo parit.

Non poterat clauso conceptum viscere pignus
Edere, crudeli tactu dolore parens;
Ioannis tangit baculum, mox fisa tonanti
Obscuro ventris carcere reddit onus;
Quis non obstupeat virgæ miracula? flores
Non dedit, & fructum reddere virga potest.

Cæca puella dat lucem.

Perdiderat lucem lucis pupilla paternæ,
Vnica lux, patris pupula, matris amor;
Ipsa dies tenebris obscurior esse putatur
Nocturnis, tenebras orba puella facit?
Ioannes restincta refert in lumina lucem,
Et nouus irradiat tristia tecta dies;
Pro cæca haud decuit miseros lugere parentes;
Facta est cælitibus notior orba procis.

Quæ-

Quædam miracula

B. HIERONYMI

ÆMILIANI

Congregationis Somaſchæ Fundat.

Panem multiplicat.

CÆca pererrabant turbatum nubila cœlum,
Pandebatque albas ſordida terra niues;
Parca Ceres ſterili prius abdebatur in arca,
Poſcebatque ſuos plurima turba cibos;
Proijcit in gremium panis fragmēta Mianus,
Triticeamque manu creſcere ſentit opem,
Longimanum fecit longa olim dextera Perſam,
Aucto Largimanus pane Mianus erit.

Aquam è marmore educit.

Vrebat ſiccas hominum ſitis arida fauces,
Duraque fontales petra negabat aquas;
Inſculptum rogitat felici in marmore Chriſtum,
Limpida, & è gelido marmore lympha venit:
Quidni diffluerent rigidis de rupibus vndæ?
Chriſtum orat, Chriſtus, qui eſt petra, mittit aquas.

 Aliud.

Aliud.

Dum cubat Æmillus ſcabri ſub fornice ſaxi
Cautes ex oculis imbre cadente rigat:
Nil mirum reddant latices quòd ſaxa precāti,
Quas biberat lacrymas, reddit amica ſilex.

Claudum facit incedere.

Oderat Æmilium veſano pectore claudus,
Rem magnam faceret, ſi foret ille bonus;
Læſerat innocua maledictis nomina famæ,
Nec linguæ poterat ponere tela ſuæ;
Audit ad Æmilij plures properare cadauer
Venaleſque petit, poſſit vt ire, manus:
Deuehitur; ſūctumque pio veneratus honore
Corpus, ſacratos concidit ante pedes:
Surge miſer; grallas tumulo ſuſpende relictas,
Æmilij greſſum re docuere pedes.

Muti linguam ſoluit.

Non poterat mutus claras diſtinguere voces,
Faucibus hærebat ſed pigra lingua cauis,
Cum mater cupidis implens pia ſidera votis,
Æmilium nati ſoluat vt hora, rogat.
Clara puer ſubito cōcepit verba;quid inquit?
Non loquitur, Diuum prædicat Æmilium.

Hydrope laborantem ſanat.

Inſtabat tumidam matronæ hydropiſis aluū,
Totaque ſiue vterus, ſiue erat aluus vter;
Concuperet cum ſemper aquam, vix ebibit vndam

Æmi-

Æmilij, nocuam mox aqua pellit aquam;
Hæc aqua vera fuit; potanti suscitat ignem
Illa nouum, veterem discutit ista sitim.

Sanguinem mulieri sistit.

Fœmina sanguineā profundit naribus vndam,
Feruidaque immodicis febribus ossa calent.
Nulla potest fluidum remorari petra cruorē
Totus præcipiti flumine sanguis abis;
Marmoris vt partem tetigit, quo membra locabat
Æmilius, febris stante cruore fugit;
Quid vinctos fuluo defertis Iaspidas auro?
Ecce rudi tactus marmore sanguis abest.

Mortuum ad vitam reuocat.

Iam puer ætheras animum exalarat in auras,
Ac dandum tumulo iam breue corpus erat:
Aduenit Æmilius flexo mox poplite cœlum
Suspicit, & puerum surgere voce iubet:
Ille resurrexit vitali redditus auræ,
Seque exinde alium nouit habere patrem.

In conuiuio lacrimatur.

Pinguia dum positis sternuntur fercula mensis,
Et sociant lautas mollia vina dapes;
Assidet Æmilius, sacro mox percitus igne
Exorto madidas proluit imbre genas:
Viderat in cyatho purum bulire falernum,
Diluat vt vinum, lumine fundit aquas.

Aliquot Insubriæ Ciuitates Hieronymum Parentem agnoscunt.

VENETIÆ.

Vbi colligere cœpit pueros parentibus orbatos.

Sannazarium Remondo conciliat.

QVid mea laurigeri stupeant natalia vates?
Quid surgant cunis iurgia sæua meis?
Me probat hic, regnem Venetas quòd Virgo per vndas
Non posuisse homines, sed posuisse Deos;
Ille canit, maior Venetis vt gloria surgat,
Non posuisse Deos, sed posuisse homines;
Tuba sile; excisa vitij cum mole Mianus
Diuina ciues innouet arte meos,
Hæreat illa tuæ stabilis sententia menti,
Et posuisse homines, & posuisse Deos.

VICENTIA.

Vbi ciues pietatis exemplo ad pietatem inflexit.

Cur ego viniferos iactem Vicentia colles,
Pampineo tollam quid iuga culta Deo?
Pectore si discors medio bacchatur Erynnis,
Marspiter armigera si ferus vrbe furit?
Prælia iam valeant; ponat sacra castra Mianus,
Christo, quæ sueuit vincere, victa cadat

BRI-

BRIXIA.

Vbi misericordia, quam vocant domum erexit.

Cum mea dulciloquus peruasit tecta Mianus,
Ad cœli tutum pectora flexit iter;
Atria iam surgunt sacras pietatis in ædes,
Iam non castra volo, sed pia claustra colo;
Flectere sanguineas nequeat facũdia mentes?
Ferrea eram, Æmilij cerea fio modis.

TARVISIVM.

Vbi vita spiritalis auram in templo Deiparæ Virginis hausit.

Quis locus æthereis superet mea muneta donis?
Quæ gens Taruisi vincere fata queat?
Ipsa fero excepi redeuntem Marte Mianum;
Ipsa renascenti Iuno secunda fui,
Scilicet Insubricas percurrere debuit vrbes
Vrbem oro cunis hinc habuisse decet.

BERGOMVM.

Vbi publicas meretrices ad religiosum conclaue traduxit.

Fœda lupanatis proculcat limina, turpes
Agnus vt ætherea molliat arte lupas,
Flecteret illecebris genialis turba Mianum,
Terrenum æthereus ni superaret amor.
Ergo suauiloquis demulcens pectora verbis

Coniungit ſponſo corda aliena Deo:
Quis canat Ætnæis deuinctam Cyprida vinclis?
En alio melius rete ligata Venus.

NOVVM COMVM,

Vbi ciues ad nouos mores animauit.

Quinque colonorum dederit quod millia Cæſar
A Como Comum nuncupor vrbe nouum.
Heu ſenui in vitijs, longoſque in crimine ſoles
Præterij; melius dicerer eſſe vetus.
At dum diuini ſpargit pia ſæmina verbi
Æmilius, primos cogit & ire dies:
Felix orta meo Phœnix rediuiua ſepulchro
Non Comum eſſe vetus dicor, at eſſe nouum.

PAPIA.

Vbi pium Columbinæ locum excitauit.

Illa ego priſcorum ſedes clariſſima regum,
Nobile & altiloquæ Palladis hoſpitium.
Heu quot claudo meis inopes in mœnibus, eheu
Deſeruit priſcos regia gaza lares:
Dum tamen Æmilius languentes ſtipat egenos,
Et media viles incolit vrbe caſas.
Maius ſumo decus, coluerunt mœnia reges,
At modò me Pietas, me deus ipſe colit.

MEDIOLANVM.

Vbi aurum à Francisco Sfortia Duce missum repudiauit.

Diuitias opulenta meas super astra ferebam,
Iactabam rutilas ambitiosa domos:
Vrbis cum subijt tenues Hieronymus ædes,
Excelsoque meas, pectore spreuit, opes:
Auri sacra fames hominum quod pectora cogit?
En auri Æmilius nescit habere famem.

DVODECIM

SVETONII CAESARES

Epigrammatis illuſtrati,

C. IVLIVS CÆSAR.

Animaduerſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine ingemuit, & maiorum rerum occaſiones captare cepit.

Vidit in Herculea Pellæi Iulius æde
   Principis effigiem; vidit, & ingemuit,
Hic, ait, hic iuuenis domitum ſibi ſubdiuit orbem,
   Ipſe vir ignoto deſes in orbe moror?
Arma mihi, tractanda mihi date bella Quirites;
   Romano ſubdam barbara colla iugo.
Si ſciret, procul à patria non quæreret hoſtem,
   Maior Roma alijs hoſtibus hoſtis erit.

Capite detecto præcedit exercitum.

Seu ſol æſtiuo radios iaculetur olympo,
   Seu niger hybernis ingruat imber aquis:
Agmen inoffenſo præcedit vertice Cæſar,
   Cælica nudatum nec timet arma caput.
Quænam te poſthac offendent tela? probatum
   Ad cœli corpus vulnera, Cæſar, habes.

In

In ancipiti pugna equos dimittit, ne milites fugiant.

Effera dum versat dubius certamina, Mauors,
Et victuro anceps pendet ab ense decus,
Cæsar equos mittit, pedibusque lacessere pugnam
Cogit, & ipse pedes primus in arma ruit:
Quidni persequeris positam post terga salutē;
Non potes instantis robora ferre ducis.
Quadrupedes habeat pauidi; dum Cæsar in armis,
Feruet, vult socijs quattuor esse manus.

Inclinatam aciem solus quandoque restituit.

Hostica Romulides metuebant signa cohortes,
Vnaque erat timidis vertere terga salus.
Solus in aduersos rapto mucrone maniplos
It Cæsar; quænam vos fuga cepit? ait.
Ferte aquilas, conferte pedem, distringite ferrum,
Vos inimica premunt agmina? Cęsar adest.

C. Oppio ægroto lectum cessit, ipse humi sub die recubuit.

Lustra per, & sylua; errabat Cæsar, amicum
Cum videt vrgenti succubuisse malo,
Vnum erat, vnius caperet quod membra, cubile,
Copia Apollinei nulla medentis erat.

Oppius in lecto decumbit, sub Ioue Cæsar.
Febribus hic seuis, alter amore calet.

Flumina traijcit inflatis vtribus.

Possit vt hostiles Cæsar perstringere turmas,
Terrarum haud peragrat iugera, sorbet iter.
Turgida si celerem remorentur flumina cursum,
Inflato liquidas traijcit vtre vias.
Si nando Cæsar madidos lassaueris artus,
Indumenta potes pandere, ventus adest.

Per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos.

Longinquas Cæsar terras subigebat, inaudit
Cum sua braccatos cingere castra duces.
Protinus afflictas hostis ne poterat arces,
Sollicitis properat tradere rebus opem.
Sumit, Gallorum mentitus corpora, braccas,
Militis & ficto decipit arma dolo.
Excipitur notis ignotus ab hostibus hostis,
Nullaque sic vafer est, causa timoris adest;
Dumque potest, noctu castris elapsus, & hoste
Deluso, ad trepidos dux venit ille suos:
Inuictus veris fuerit dux Cæsar in armis,
Fortior assumpto militis ore fuit.

Pronus in libidines fuit.

Pronum te in Venerem fuisse dicunt.
Maternum à Venere ortum habere dicas.

Equum

Equum habuit pedibus propè humanis insignem, nec patientem sessoris alterius.

Hinnit, vbi rauco strepuerunt cornua cantu,
Strenuus & Martem Cæsaris optat equus:
Non illi solido distenditur vngula gyro,
Sed velut humanos scinditur in digitos;
Audaci nullum patitur considere dorso,
Solus equi Cæsar frena tenere potest.
Bucephalum nostro cessent componere vates;
Hic homini similis fingitur, ille boui.

Gladio, & calamo ambidexter.

Non sat erat, Cæsar, ferro superasse tyrannos,
Vt tibi perpetuum nomen in orbe foret?
Quid pergis victas à te narrare phalanges?
Præter mucronem, tingere cur calamum?
Palmas fortè tuas melior scripsisset Homerus:
Laudatorem operis non decet esse sui.
Scilicet hoc alios voluisti vincere reges,
Bellarunt alij, tu tua gesta canis.

Nando lauam efferebat, ne Commentarij, quos tenebat, madescerent.

Hostiles vitare manus dum Cæsar anhelat,
E cymba medias desilit inter aquas;
Innatat auxilio dextræ, læuaque libellos
Sustinet, excellens vtraque præstat opus.
Cæsareæ aut timuit Neptunus verbera dextræ,
Credidit aut leges tradere velle mari.

Prolapſus è naui in continentem, Teneo te, inquit, Africa.

Africa te teneo, dixit, cum lapſus ab vndis
Perculit, effuſo corpore, Cæſar humum;
Vt libet, augurium in melius conuerte, cadentem
Africa te, Cæſar, ſed magis ipſa tenet.

Admotum ſæpius capiti ſuo diadema repulit, ac Ioui miſit.

Auſonia Cæſar regnare affectat in vrbe,
Sed regale dari nomen ab vrbe vetat.
Regia dùm capiti defertur faſcia, crines
Cingeret, at magno mittitur illa Ioui.
Quantis iactatur regnandi inſania curis?
Pectore quot fluctus ambitioſus agit?
Dum regnare cupis, nec vis regnare, ligaret
Non ſanum melius faſcia ſpreta caput.

Lauream coronam perpetuò geſtabat.

Accumulant tumido Patres dum Cæſari honores,
Nullus ei gratus eſſe videtur honos;
Perpetuò geſtanda datur dum laurea, cunctis
Gratior eſt donis laurea; caluus erat.

Cum victimæ cor defuiſſet, pro oſtento non duxit.

Victima inhærebat ſacris, cum vidit aruſpex
Mactatam ſolito corde carere feram.
Nuntiat heù quanto infelix hoſtia caſus?
Gran-

Grande aliquod poſcit ſigna per iſta Deus:
Irriſit Cæſar, careat ſi corde, quid, inquit,
Quid refert? ſat erit, me cor habere ducem.

Cum immolanti diffugiſſet hoſtia, nihil deterritus bellum contra Iubam promouit.

Siſtitur infelix ardentes victima ad aras,
Tutaque deluſos effugit ante Deos.
Obſtupuit, ſteteruntque comæ, præſagia vates
Dum videt, atque Iubæ bella timenda monet:
Impauidus metuenda tamen certamina Cæſar
Negligit, & timidos cogit in arma duces:
Macte animo, Cæſar, fugiat licet hoſtia ſacris,
Quis ſcit, an hoſtilem nuntiet illa fugam?

Dum cœnaret, finem vitæ commodiſſimum reputauit inopinatum, ac repentinum.

Pinguia dum poſcunt hilarem conuiuia vitã,
De mœſto Cæſar funere verba facit.
Improbat, ægrotos quæ ſenſim repit in artus:
Quæ rapit incolumem mors inopina placet.
Ne timeas propero morieris funere; plures
Per plagas, animam fundere Roma dabit.

An-

Ante mortem sibi visus est in somnijs supra nubes volitare, & cum Ioue dextras iungere.

Quis neget è cælis descendere somnia, certam
Cum sæpè inueniant somnia nostra fidem?
Iulius est superas sibi visus surgere in arces,
Atque Ioui extensas iungere sępè manus.
Cum Ioue diuisum imperium olim Cæsar habebat,
Cælica terreno iungere regna cupit.

Cum se strictis pugionibus peti animaduerteret, toga caput obuoluit.

Integra dum Cæsar pleno dat iura Senatu,
Negligit & mortis præuia signa suæ.
Consurgunt strictis diri pugionibus hostes,
Nec pudet affines tingere cæde manus.
Non timuit Cæsar, vestis sed tegmine vultũ
Condidit, haud poterat grande videre scelus.

Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit.

Luctum, Cæsare mortuo. Quirites
Indicunt, patriæ parentis atrox
Vt funus celebrent, rogo vorandas
Congessit paleas caterua plebis,
Promptas artifices scidere vestes,
Processit viduo latina cultu
Matrona, Isacidæ frequenter ipsi
Flentes ad vetitum stetere bustum.
Et ne perpetuus deesset vltor

Con-

Consensu populi, patrumque iussit
Occludì illicò curiam Senatus:
Quìd tanto sceleri medela prodest?
Quid sacrum obstruitis locũ, Quirites?
Ne crimen penetrare in cor vllum,
Ciues claudere corda debuissent.

Illo mortuo stella crinita per septem dies continuos fulsit.

Stella vagum crinita caput, dũ Cæsar obiuit,
Porrexit radians sole micante iubar:
Fortè noua cęlum comitatur lampades funus,
Aut luctum cæli sanguine tincta notat:
An magè, Roma, tuus delapsus Cæsar Olympo
Ad cognata sibi mortuus astra redit?

De eodem argumento.

Aliud.

Cæsaris Augustus celebrat cum funera ludis,
Ecce repentinum sidus in axe micat:
Fortassis voluit fatuos deludere vates,
Dicere qui mortem regibus astra putant,
Innocua haud signant morituros sidera reges:
Cæsare defuncto, stella comata venit.

Pater patriæ dictus est.

Vix coniuratæ repetito vulnere dextræ,
Cæsaream indigna cæde bibere necem.
Cum spreuere hilari matronæ incedere cultu,

De-

Defluere Patres funera, fleuit eques,
Erexit mœrens ſublimem Roma columnam,
Et faſſa eſt Patriæ, marmore teſte, Patrem.
Debuerat celare ſcelus: dum talia ſcribit,
Aggrauat indignum neſcia Roma ſcelus.

OCTA-

OCTAVIVS AVGVSTVS CÆSAR.

Mater eius Accia somniauit intestina sua ferri ad sidera; Pater eius Octauius ex vtero coniugis iubar solis exortum.

PRoh quanta effudit iucundo gaudia vultu,
Accia, cum tumidus pignore venter erat:
Vidit enim somnum capiens sua viscera ad æthram
Deferri, & cæli septa per ampla trahi;
Pandite fatidicæ quid signent somnia vates,
Qui fluet è matris viscere, qualis erit?
Exponenda alijs si sunt insomnia somnijs,
Sol erit; en solem somniat esse pater.

Vespere infantem cunis reposuit nutrix, mane in turri reperit contra solis exortum.

Vespere condiderat teneris nutricula cunis,
In pueri vt caderet lumina bina sopor;
Mane volens alijs vigilantem inuoluere pannis,
Deposito vacuum repperit esse torum.
Conscendit turrim, hic solem expectabat alumnus.
Vt rutilum viridi tolleret amne caput.
Sol tardabat equos, roseoque pudore rubebat;
Natum quòd solem cerneret esse alium.

Cum

Cum primùm loqui cepit, ranas silere iussit.

Rana coaxabat limoso in gurgite, blandis
Cum tereret plantis florea parata puer.
Audijt attonitus rauco stridore strepentem,
Et subito mutam præcipit esse feram,
Res mira: hæc tacuit, reliquæ sunt iussa secutæ,
Facta est amisso murmure muta palus.

Deambulanti in litore piscis ad pedes iacuit.

Pompeius Siculas vexabat nauibus oras,
Nescius imperij ponere iura sui;
Cum parat Augustus ponto cõmittere classẽ,
Et freta nauali sollicitare tuba.
Vixque pedem sicco defigit litore, piscis
Cum saliens medijs prodijt vdus aquis.
Pandere vela potes; spondet Neptunus honorem;
Nuntius ecce tuos mittitur ante pedes.

Aquilifero legionis suæ grauiter sautio, Aquilam humeris subijt, diùque portauit.

Aspera coniunctis feruebat pugna maniplis,
Ictus cum diro signifer ense cadit;
Non tulit Augustus Romanæ signa cohortis
Horrida in hostiles cæde venire manus;
Sed curuans humeros aquilæ perrexit in hostem,
Stantia non poterãt signa probare Ducem.

Bru-

Bruti caput Romam mittit, vt statua Cæsaris submittatur.

Humano sæuas desistite sanguine dextras
Imbuere, ense alium qui ferit, ense perit.
Ausus in agnatum patriæ consurgere patrem
Augusto Brutus sceptra tenente cadit.
Et qui viuenti submittere colla negarat,
Mortui ad effigiem proijcit ecce caput:
Cæsareique basim dum tentat vertere regni,
Cæsareæ statuæ cogitur esse basis.

Corpus Alexandri, corona aurea imposita, ac floribus aspersis, de sepulchro veneratus est.

Tollite marmoreum Pario de pegmate culmen,
Vt pateant oculis ossa sepulta meis;
Iste ne Alexander, rerũ qui pondere Magnus,
Audijt, & totus quo minor orbis erat?
Vnus Pellæum iuuenem non ceperat orbis,
Et modò defunctum tam breuis vrna capit?
Sistite, me Augustum Romanæ dicere gentes:
Pro Augusto Angustus dicier inde volo.

Nocturno tempore lecticam eius fulgur perstrinxit.

Effrenate negas stolidis quid Cantaber ausis
Accipere Ausonij regia iura ducis?
En venit innumeras ducens ad bella cohortes,
Et ferro, & flammis te, tua regna dabit;
Non metuis iustæ metuenda incendia pugnę?
Irato en minitans fulgor ab axe prçit.

Vrbe

Vrbe Apollonia reuertenti circulus ad speciem cælestis arcus super caput affulsit.

Dum remeas, Auguste, tuã successor in vrbem,
Circulus aerio cingit in axe caput.
Scilicet extincto veniebas Cæsare Romam;
Circulus in regem te redimire cupit.

Primo consulatu augurium petenti, duodecim se vultures, vt Romulo, obtulerunt; & in illud eiusdem, Vrbem lateritiam reperi, relinquo marmoream.

Ne timeas, Cæsar, meritos tibi patria fasces
Deferet, & tinget murice Roma togam;
Aspice vulturios: bis seno en agmine currunt,
Et commune tibi Romulus omen habet;
Coctilibus primus fundauit Romulus vrbem,
Qui Romam condat marmore, primus eris.

Sub habitu Apollinis cœnæ assidet.

Sternite fecundas spatiosa per atria mensas,
E celo lapsos excipit aula Deos;
Hùc iam torquatas egit Cytherea columbas,
Hìc cum Gorgoneo crine Minerua sedet:
Inuida sceptriferum comitata est Iuno maritum,
Ipseque sub Phœbi syrmate Cæsar adest.
Nil mirum pane, & vino si Roma labores,
Quanti sit, nescis, pascere velle deos.

Aqui-

Aquila prandenti panem rapuit, ac reddidit.
Antithesis ad Epigramma celebris poetæ.

Dum patulis, Cęsar, celebras conuiuia syluis,
Ecce Iouis præpes surripit vngue dapes;
Ab Ioue consuerat diuisam sumere mensam,
Te similem cernens credidit esse Iouem.
Quin negat esse Iouem; ambrosiam nam pasta supernis
In mensis, panem nauseat illa tuum.

Dum ludos celebrat, laxatis sella compagibus cadit supinus.

Ibat, vt insolitos Marcelli in puluere ludos
Augustus populo conspiciente daret;
Stridula sollicitant veloces plaustra iugales,
Plenaque confusis feruet arena viris;
Deuehitur sella Cæsar, lorisque solutis
Subiectam pulsat semisupinus humum;
Quìd magè ridiculos optat inducere ludos?
Ridiculum ludum dum cadis, ipse facis.

Audita Variana clade caput foribus illisit.

Audit, vt Ausonias Germana per arua phalanges
Sub Duce Quintilio succubuisse neci;
Percitus insanas exardet Cæsar in iras,
Duraque squalenti limina fronte petit:
Quìd frontem iactare iuuat? ni perdere velles,
Debebas aliud mittere in arma caput.

Dum

Dum Pater patriæ dicitur, lacrymatur.

Suſcipe, quo mittit titulos, Auguſte, ſenatus;
Te ſaluere iubet Roma patrem patriæ.
Non tibi tot vecti in Capitolia celſa triũphi,
Non tibi tot victi, Marte furente, duces:
Non tantũ decoris mundo data iura tulerunt.
Quid rigat humentes deflua gutta genas;
Scilicet aut luxit, pro parte fuiſſe tyrannum,
Aut lacrymæ Romam parturientis erant.

Certo die quot annis ſub habitu pauperis ſtipem mendicat.

Vincat vt iratam Nemeſin, ſub paupere cultu
Pro modico extenſas porrigit aſſe manus:
Incertæ metuit Cæſar ludibria ſortis,
Incipere hìc mauult ſæpiùs eſſe miſer.

Epiſtolas Sphingis imagine ſignare ſolebat.

Clauſa peregrinas excurrit epiſtola terras,
Et petit ignotas nuntia facta manus;
Inuia mortali cuſtodit ſymbola menti,
Et ne cernantur condita, ſphinge premit.
Sit ſecreta licet; recipis quicunque papyrum
Ni capis, en Sphingem, quæ tibi pandat, habes.

Oculos habuit adeò nitidos, vt intuitum prohiberet.

Exerit ardentes bino de lumine flammas,
In-

Inque oculis oculos sistere nemo potest.
Nocturnas, Augustę, potes pulsare tenebras,
Regia sic gemino, frons tua sole nitet;
Solares oculis radios tibi, Cæsar, inesse,
Qui te non audet cernere, testis erit.

In morbo delirans, se à quadraginta iuuenibus abripi dicebat.

Postremas moriens trahebat horas
Præsenti sibi mente Cæsar, vnum
Ostendit specimen phrenesis in se
Nam somno pauefactus à relicto
Quadraginta humeris rapi dolebat:
Quis deliria mentis ista dicat?
Cæsar vaticinatus est futurum,
Defunctum totidem extulere serui.

Morti proximus comam sibi pecti postulauit.

Vltima producit vitæ spiramina Cæsar,
Et secto pecti vult elephante comas;
Scilicet extremū cum claudere debeat actum,
Prodire incomptis crinibus haud voluit.

CLAVDIVS TIBERIVS CÆSAR.

In aquas Aponi talos iaciens, augurium capturus, vidit numerum ſenarium Veneris extaret.

Regnandi cupidus Patauina Tiberius arua
Venerat, ex Aponi cum petit omen aquis;
Proijcit auratos ſtagnantia in æquora talos,
Qui Veneris medio ſigna dedere lacu.
Regna Venus promittit, aquis licet obruta, Cæſar
Cum fuerit, Veneres proferet ille nouas.

Aquila nunquàm anteà Rhodi conſpecta in culmine domus eius aſſedit.

Quò petit altiſoni præpes regina tonantis,
Quidue per ignotas cernitur ire plagas?
Deſine fatorum ſcrutari arcana, Tiberi,
Romani imperij hæc omnia certa cape:
Te quærit volucris Rhodi deſeſſa per vrbem,
Ecce tua tandem conſidet illa domo.

Veſtimenta mutanti tunica ardere viſa eſt.

Exue ſollicitam turbato pectore mentem
Claudi, defuncto Cæſar, Cæſar eris;
Transfer priuatas in regia vellera veſtes,
En tunicas ſaluo corpore flamma vorat.

De-

Deferentibus Imperium, Nescitis, inquit, quanta bellua sit imperium.

Imperium caperet, vitæ nisi fata timeret.
Hinc vocat ambitio, detrahit inde timor;
Quanta sit Imperium nescitis bellua, dixit,
Romula quā cuperem sceptra tenere tacet;
Te cupere imperium credo iam nosse futurum
O te vtinam scirent belluam in imperio.

Pati non poterat adulantes, cum ipse maximè adularetur.

Abeste longè, abeste blandi palpones,
Qui facitis esse candidum ipsum nigrorem,
Hæc aula regios canes non enutrit.
Gentem Tiberius recusat Comœdam.
Adeòne Cæsar ferre non potest illos?
Imò nihil plus diligit; quìd ergò vult
Abesse? Solus ipse vult adulari.

Appellari non vult Pater Patriæ.

Exoptata alijs Cæsar cognomina Patris
Contemnit Patriæ, Vitricus esse cupit.

Nocturno tempore res obiectas videt.

Nox tegat obscuras tetra caligine terras,
Subtrahat & radios aurea luna suos;
Conspicit in medijs Cęsar quęcunq; tenebris,
Et sibi dùm nox est, tùm facit esse diem,
Ausonij signa imperij mutate, Quirites,
Præfuerint Aquilæ, noctua Præses erit.

Popinas inhibuit.

Romanam frenare gulam dum Claudius optas,
Quid sua cauponi vendere vina vetas?
Claudius, atque Nero, cum iam ante Tiberius esse,
Nonne Biberius, es Caldius, atque Mero?

Cum tonat, lauro se cingit.

Dum clausus vastis reboat mugitibus æther,
Et trifidæ erumpunt nube tonante faces;
In caua se pauidus recipit penetralia Cæsar,
Munit & attonitum fronde virente caput;
Ne timeas, feriunt sublimes fulmina montes;
Te nihil in toto est vilius imperio.

Draconem, quem manu nutriebat à formicis consumptum inuenit.

Pascebat colubrum colubro crudelior, ictum
Cum formicarum morsibus esse videt;
Talia si quæris, quid signent omina, Cæsar,
A numero debes, ipse cauere tibi.

Interdicit, ne capite damnatos propinqui lugerent.

Nouum seuerioris ò genus pœnæ?
Dies ab ense nullus ire permissus;
Festus profestus hostias dat humanas.
Mortem parentum nec sinit suos flere;
Oculis, Quirites, denegate ploratum,

In

In corde lacrymas siccat dolor magnus.
At si abstinere vis dolore Romanus,
Tu morere Cæsar, tota Roma ridebit.

Ignis in morituri cubiculum illatus extinctus, ac diu frigidus repente exarsit.

Tradiderat lecto moriturus corpora Cæsar,
Hic vbi Miseni villa superbit agri;
Cum cinis infertnr, tenui lucente fauilla,
Vt lento vigeant membra calore magis:
Frigidus euasit, qui iam conceperat ignem
Carbo, carbonem mox nouus ignis habet.
Viuentem refouere negant elementa tyrannum,
Dum moritur, vellet flamma parare rogũ.

Fame occidit nepotes, & à Caio nepote veneno interficitur.

Qui prius Ausonio macularat sanguine sceptrum,
Nec sine cæde vllum fuerat ire diem;
In proprios cepit crudelior esse nepotes,
Quos diræ voluit succubuisse neci:
Perge, tuam saturare famem cum strage nepotum,
Dum sities, tradet pocula mista nepos.

CAIVS CALIGVLA CÆSAR.

Natus est in campo militari.

SPiraturum oculis quis Caium bella nega
set;
In medio Caius milite natus erat.
Splendorē ille prius gladij, quam lumina sol
Vidit, & à caligæ nomine nomen habet;
Et tamen vt Mauors ortus, velut alter Iacchu
Vixit ab antiquis degener vnus auis.
Classica materno metuens sub viscere prodij
Non vt bellaret, prodijt, vt fugeret.

*Multi pro ægrotantis salute caput vo-
uerunt.*

Vix capit imperij Caius moderamina, languē
Cogitur ostrino cum dare membra toro;
Vrbs illo surgit surgente, caditque cadente,
Sic amat excidium nescia Roma suum:
Quid caput ægroto offertis pro principe ciues
Sanus erit, vestrum demetet ille caput.

*Optauit, vt populus vnam haberet
ceruicem.*

Nec dum Tantaleas saturasti sanguine fauces
Sanguineas Tyberis dū tamen vrget aquas?
Quid ceruicem optas vnam gestare Quirites,
Vt percussa vno vulnere Roma cadat?
An stultam gladio gentem vis tollere? maior
Stultitia est, te vnum, Cæsar, habere caput.

Sta-

Statuæ Iouis caput ademit suo imposito.

Natus in Idæis olim qui iupiter aruis
Cogitur è patrijs exul abire locis;
Et qui fulmineo feriebat turbine reges,
Truncus ad imperium Cæsaris ecce iacet.;
Quid timeant miseri sæuo sub principe ciues,
Si caput æternis amputat ille Dijs?

Templum suo nomini erexit, aureumque sibi condidit simulachrum.

Libera quæ pepulit crudeles Roma tyrannos,
Cogitur en reges sustinuisse duos;
Caius adorari se vult, vt numen ab orbe,
Et parili statuam mandat honore coli;
Quali ipse induitur trabea, vestitur imago;
Nullumque in duplici numine numē inest.
Quis tamē effictum viuo pro principe nollet?
Aureus vnus erat, ferreus alter erat.

Lunam vocabat in amplexus.

Aurea dum pleno collucet Cynthia gyro,
Et cum sideribus ducit in axe choros:
Consurgens lecto Cæsar veneratur, & orat,
Blanda vt in amplexus decidat illa suos:
Si cupis amplecti Lunam, dormire deceret,
Luna sui somnos Endimionis amat.

Interdiù cum Ioue Capitolino fabulatur.

Scipiadæ Cæsar renouas exempla prioris

Tarpeio ingreditur limina sacra Ioui;
Tecta Dei subiere ambo, coluere tonantem;
Sed non consilio consuluere pari;
Scipio consuluit, patriam vt defenderet armis,
Consuluit, vt patriam destruat iste suam.

Iouem prouocat ad pugnam, cum tonitrua timeret.

Si claræ obscurum spargantur in æthera flammæ,
Hæc oculis Cæsar lumina ferre nequit;
Si tonitru maiore cadant è nubibus ignes,
Sub socio pauidus delitet ille toro:
Hiccine qui natus medijs bellator in armis?
Hiccine qui summum poscit ad arma Iouem?
Iupiter insolito si turbine misceat orbem,
Pugnabis, Cæsar, vel miser antra petes?

Nolebat suam Cæsarum imaginibus inseri.

Inter Cæsareas Caium ne ponite ceras,
Indignum tali se videt esse loco.

Latialis Iupiter dici voluit.

Imperat, vt Latiæ dicatur Iupiter oræ,
Drusillamque tenet fœdere coniugij:
Quis neget esse Ioui similem? si iuno tonanti,
Sic Drusilla tibi est & soror, & coniux.

Homeri carmina abolere cogitauit.

Mæonij famam cupidus deperdere Homeri
Do-

Docta prius Cæsar scripta abolere cupit:
Vt Phœbæa nouis vratur Troia fauillis
Consumi Liacum carmen ab igne iubet:
Neu Laertiades orbem percurrat Vlysses,
Curat, vt à terris dux vafer exulet.
Æmulus antiqui vult esse Platonis, Athenis
Depulit hic vatem: depulit vrbe alius.

Tempora sua dolebat nullis calamitatibus insigniti.

Augusti Caius laudabat tempora, cladem
Patria quòd Varo sub duce passa foret:
Quòdque Fidenati cecidissent millia circo
Felices Claudij dixit abisse dies.
Vt foret æterno memorandus nomine, pestē,
Aut aliud cupijt serpere in orbe malum:
Stulte, quod exoptas misero discrimina mūdo?
Te regere imperium magna ruina fuit.

Cum vxoris collum oscularetur, dicebat tam bona ceruix simulac iussero, demetur.

Oscula dum collo Cæsar delibat amicæ.
Vt pateant animi symbola certa sui.
Tam bona de metur, dicit, si iussero ceruix,
Et mea, quam feriunt, oscula, sica petet:
Fortè cupit fœdi detergere basia amoris,
Non aliter tergi basia fœda queunt.

Amicos è ponte in mare proturbat.

Arcuat ingentem spatiosâ per æ quora pontē,
Vt queat in liquidis ire pedester aquis:

Hùc vocat Ausonios ficto sub fœdere ciues,
Mox in subiecti proijcit ima freti?
Non sat erat, ciues proprio mersisse cruore,
Nunc etiam ęquoreis mergere pergit aquis.

In nummorum se aceruo reuoluit.

Insanam saturare famem cum Cæsar aueret
Auri; sic aurum pectora nostra rapit?
Fulgida compleuit diffusis atria nummis,
Seque per immensas voluere cepit opes:
Garrula non memorent Phrygium mihi sæcula Regem,
Auri qui nimio pondere diues erat;
Ille manu quidquid caperet, vertebat in aurum,
Ex auri tactu hic aureus esse cupit:
Aures ille asini Rex stultus habebat; asellum
Aurati in cumulo pulueris iste refert.

Nummos proijcit in plebem.

Ne tenebris gazas tegeret, sed prodigus auro
Regales Cæsar dilapidaret opes,
Magnanimus Iuli conscendit culmina templi,
Atque in feruentem munera spargit humũ:
Aurea sub Caio vnusquisque redisse putaret
Sæcula, ni ferrum sæpiùs ille daret.

Acie disposita in litore Oceani, machinisque directis, nemine opinante, quid acturus esset, repente, vt conchas legerent, imperauit, Oceani spolia voticans.

Bellica quo tendunt Romani fulmina Martis.
Quid

Quid petit innumeris machina plena focis?
Quid sibi dispositæ cupiunt in litoræ turmæ?
Quem, Cai, inuitas ad fera bella ducem?
Nullus adest hostis, pacatus in æquore regnat
Neptunus, tecum quod meditaris opus?
Bellum Cæsar amat fuso sine sanguine, conchas
Hinc vacuas, belli vana trophęa legit.

Iouis simulachrum Olympia; quod Romam asportare placuerat, repente cachinum edidit.

Cassius ingrati tincturus sanguine regis
Ferrum, cum socijs sollicitabat opus.
Iam Cæsar moriturus erat, cum audiat cachinnum est
Lignea Olympiaci reddere imago Iouis.
Diffugere omnes fracti formidine signi,
Sistite; quis turbat pectora vestra timor?
Iupiter extremam Cai qui senserat horam,
Hostis de interitu iubilat ecce sui.

Pace cum Ioue inita suum palatium, ac Iouis templum ponte coniunxit.

Vt Ioue cum summo nectat commertia Cæsar,
Ipsam cumq; animo iungat vt ille domum;
Transmisit pontem diductis arcubus, altæ
Hinc ædes surgunt Cæsaris, inde Iouis:
Pax erit: iratum pacasti Roma tonantem,
Arcus enim signum fœderis esse solet.

Pulchros, & comatos occipitio raso deturpat.

Turba puellares iampridem imitata capillos
Crispantes varia struxerat arte comas:
Viderat hos Cęsar blando sibi plaudere cultu,
Munditiæque nouos instituisse choros:
Mox iubet, oblongos tonderi forcipe crines,
Et vetat occipitis crescere posse nemus:
Insidias timuit, quis enim non iure timeret,
Crinibus occultos dum videt esse homines?

Coronas instituit Solis luna, ac siderum imaginibus distinctas, quas exploratorias dixit.

Caius, vt excubias Romæ se ducere monstret,
Præcingit luna, sidere, sole capur.
Proh stultæ excubiæ, radijs simulachra coruscant r
Tu somno indulges: hoc vigilare fuit?

Præclusis horreis famem populo indixit.

Roma fame vt pereat, Cereris præcludit aristas,
Maius at est populo claudere corda, nefas.

Pane ex auro proponit.

Cœnam Romuleæ daturus aulæ
Panes porrigit aureos, deceret.
Caium non alios habere panes.

C. CLAV.

C. CLAVDIVS CÆSAR.

Dum latebra se occuleret, Cæsar est factus.

SEnserat extinctum crudeli funere Caium
Cladius, & totã cæde mandere domum:
Cannigra supremi conscendit culmina tecti,
Seque citò turpem proripit in latebram,
Huc properans miles cæcis educit ab vmbris,
Perge, ait, in lucem, tu modò Cęsar eris,
Non occidisti, mutasti Roma tyrannum,
Bellua de cauea non nisi sęua venit.

Plures aquæductus condit.

Quę vaga per varias currebant flumina terras,
Ad clausos Cęsar pertrahit ecce sinus:
Hùc Tiburtinus Anio descendit ab agris,
Et quę sulphureis vnda tepescit aquis:
Quique per albentes pacato gurgite ripas,
Curtius irriguas in mare voluit aquas.
Tanto Roma prius fuerat maculata cruore,
Claudius vt maculas diluat, addit aquas.

Deponere sæpè tentauit Imperium.

Cęsaris excipiat Romanus fata Senatus,
Audiat insidias Martia turba meas:
Non igitur Cęsar scelerato a milite tutus?
Quisque petet sacrum Cæsaris ergò caput?
Sumite Romulidę vestri moderamina regni,
In latebras vellet Claudius ire suas.

Dum ius diceret, tactus nidore fumi, è solio desilit cœnaturus.

Cæsare dum pendens agitatur iudice causa,
Ac sua sollicitus iura patronus agit;
Sensit inhalatum vicino Cæsar odorem
De lare, & appositas Martis in æde dapes,
Desilit è solio, templique reposta penetrans
Atria, cum mystis mysta gulosus adest.
Scilicet ambigui iactatur quæstio iuris,
Quod ius sit melius, noscere Cæsar auet.

Vxorem Messalinam, cum occisa esset, ad cœnam vocari iubet.

Iusserat vxori vitam mucrone secari,
Dignaque criminibus pręmia habere suis;
Adsolitas Cæsar mensas cum mane recũbens
Vxor, ait, veniat, mensa parata iacet.
Non meminit iusto vxorem periÿsse sub ense,
Non vnda Lethes, mergitur ille mero.

Sepulchrum patris fulmine tangitur.

Altionans ignita vibrat dum tela paternum
Æthereo & tumulum disiÿcit igne Deus;
Mors tibi, Cæsar, adest; diuino fulmine tacta
Vt te suscipiat, panditur vrna patris.

Boleto medicato ab altera vxore Agrippina necatur.

Cunctã super Cæsar boletos fercula laudat,
Nec sine boletis cœna parata placet;
Bole-

Boletos dedit vxor anus, sed felle pertin-
ctos,
Lethi & boleti causa fuere sui:
Vxorem ante vnam Cæsar iugulauerat; à se
Dum scelus auertit, punijt vna scelus.

NERO CLAVDIVS CÆSAR.

Eius ad cunas duo dracones excubant, eoque se proferente diffugiunt.

DVm iacet in cunis Cæsar nutrice remota,
Irrepitque leuis membra tenella sopor;
Erectis vigilant cristis vtrinque colubri,
Proxima nec puero dira venena nocent.
At vix explicitis è lecto se artubus effert,
Cum subitò refugis dissiliere globis.
Agnouere eius puero recubante venenum,
Dum stat, maiorem pertimuere feram.

In infantia sub pædagogo tonsore nutritus est.

Radere Romanum nil mirũ nosceret aurum,
Sub tonsore puer Claudius altus erat.

Lucio Senecæ erudiendus traditur.

Æquet vt excultis crescentes moribus annos,
Informat puerum Palladis arte sophus;
Vidit in immiti spirantem fronte furorem,
Sanguineasque oculis vidit inesse notas;
Clementem docto descripsit pollice regem,
Vt lecto fineret tam ferus esse libro;
Sunt, Luci, ista tuæ contraria dogmata sectæ,
Dum mitem laudas, secta seuera placet;
Discipulum conspecta mouet si vita docentis,
Stoicis, heu vereor, ne velit esse puer.

Cum

Cum mortis sententiæ subscribere deberet, quam vellem, inquit, nescire literas.

Crudelem posthàc appellet nemo Neronem,
Mitior hoc nostro Cæsare nemo fuit.
Debet enim meritæ cum se subscribere morti,
Cadmæas optat non didicisse notas;
O vafer, ò vecors; quis non cognosceret artẽ?
Scribere non calamo, sed magis ense cupis.

Vestæ sacrificans contremiscit.

Destinat Ausonia Cæsar discedere ab vrbe,
Et petere Eoas, mane rubente, plagas:
Ingreditur tamen ille prius sacra limina Vestæ,
Vt cremet accensis turea dona focis:
Incipiunt horrere comæ, gelidusq; pererrans
Ossa tremor ceptis cogit abire sacris:
An timuit ne grata forent sua munera Diuæ?
Incæstum an castam se videt ante Deam?

Prægnantem vxorem calce interficit.

Solemnis iam festa aderant certamina lustri,
Vt caperet victor laurea serta Nero:
Hic igitur Tyrio vestitus murice, circum
Ingrediens cytharæ pollice fila premit;
Roma stuper, vocisque modos mirata fatetur,
Diuinum sacro è gutture abire melos;
Ebrius ille data plenæ dulcedine laudis
Turgida Propæę viscera calce petit;
Se putat esse Iouem; vxorem nã Iupiter olim
Vt pareret, tonitru; sic Nero calce ferit.

Pa-

Palatium erigit ex incendio Romæ.

Arſerat heu proprijs infelix Roma caminis,
Cum Nero ſublimẽ ſtruxit in vrbe domũ:
Explicat hinc frondens viridantes porticus vmbras,
Inde caua immenſo gurgite ſtagna iacent.
Aurea de ſpatio conſurgunt tecta patenti,
Clarus vbi aurato ſtringitur orbe lapis.
Viderat ardentem conceptis ignibus vrbem,
Gēmarum ardere hinc præcipit igne lares.

Illo vix egreſſo theatrum corruit.

Parthenopes iam Cæſar erat digreſſus in vrbem,
Vt cantu impleret plena theatra ſuo.
Poſt mittit ludos, victorque recedit arena,
Dumque abit applauſu lætus, arena cadit.
Si Nero dum caneret, cecidiſſet arena, fuiſſet
Cantator Cycnus funeris ipſe ſui.

Dum Herculem inſanum repræſentat in ſcena, tyro miles ad eum ſoluendum accurrit.

Deſinat inſanum mihi reddere fabula, cæco
Cum foret Alcides captus amore Ioles.
Aſpice, vt Herculeos ſublimi in pegmate mores
Ipſo haud inferior Hercule Cæſar agat:
Et gemit, & ridet, cadit, exilit, æſtuat, ipſa
Queis deuincitur vincula, cara tenet;
Siſte parũ miles; quid vincula ſoluere tentas?
Inſanum nullum tam benè vincla decent.

Mu-

Mulieres illo canente ſunt enixæ.

Cum docto Cæſar pulſaret pollice chordas,
E circò poterat tollere nemo pedem;
Quin natos legimus materno viſcere partus,
Ducere tam longas non potuere moras;
Quis miretur equas hauſtis producere vẽtis?
Cæſaris audita en fœmina voce parit.

In theatro canens non laudantes occidi imperat.

Prodit inaurato veſtitus ſyrmate Cæſar,
Quamuis non Cæſar, ſed cytharædus erat;
Stat baculus manibus, plectro lyra pendet eburno
Ex humeris, cingit picta corona comas:
Incipit ambroſiam iucundo è gutture vocem
Mittere, & argutæ plectere fila chelys.
Turba tacet defixa oculis; qui negligit aures
Porrigere, huic vitam ſurripit enſe Nero:
Dulcia ſirenum modulatur Carmina Cæſar,
Namque homines, poſtquam concinit, ille vorat.

Romam appellare voluit Neropolim.

Scipiadæ tribuit ſubuerſa Numantia nomen,
Deletæ hic Romæ tradere nomen auet.

Patris Patriæ nomen recuſauit propter iuuenilem ætatem.

Vectus ad imperiũ cunctos ambiuit honores,
Atque omni ornatus Cæſar honore fuit.

Ro-

Romaque cum Patria cuperet quoque dicere Patrem,
Non decet hoc iuuenem sumere nomen, ait;
Compositi ne signum animi reputate, Quirites,
Abnuet hoc nomen sumere, cum poterit.

Matris ventrem lacerat.

Viscera transadigit matri; quòd tale tulisset
Monstrum, plectendus vulnere venter erat.

Illius statua ictu fulminis ad informe æs liquefacta est.

Diruit effigiem fulgur, sternenda Neronis
Fulgure cum potius ferrea corda forent.
Non illa in mutilas cecidit diffracta figuras,
Amisit formam sed liquefacta suam;
Abstulerant Romæ primæuum incendia vultum.
Nec seruanda mali principis est statua.

Roma fugiens ad euitandam mortem, facto terræ motu, & fulgure dignoscitur.

Velatus faciem, pannoso cinctus amictu,
Atque pedes nudus diffugit vrbe Nero.
Et qui Cæsarea primùm languebat in aula,
Cæsareo exutus quærit honore locum.
Cælum demisso fugientem fulmine terret,
Terra dehiscentem pandit hiulca sinum.

Cum

Cum hoſtes vrgerent foſſam excauari iuſſit, ipſe fruſtula marmoris colligebat humando corpori.

Inſtabat ſtricto rigidus mucrone ſatelles
Veſtigiis vario calle Neronis iter:
Fata timens, fieri dimenſo corpore buſtum
Imperat eſfoſa cum ſibi Cæſar humo;
Effodiunt ſerui tenera tellure ſepulchrum,
Fruſta, quibus ſurgat, marmoris ille legit.
Marmora in immenſo conſumpſerat omnia tecto,
Nil mirum, tumulo marmora defuerint.

Pugione ſe iugulauit.

Audierat mortem ſibi decreuiſſe Senatum,
Inuia mox denſis vepribus antra ſubit.
Aſt vbi carnifices ſenſit properare, repente
Arrepto iugulum confodit enſe ſuum.
Pœnituit ſæuiſſe nimis; nimis ille cruorem
Hauſerat, hinc alio redditur ore cruor.

Sepulchrum illius fulmine tangitur.

En tua turbatum veneratur funera cœlum,
Fulmina dum ſummo Iupiter axe vibrat.
Pro Roma mittit ſuperis de ſedibus ignes,
Debuit has olim reddere Roma tibi.

SERGIVS SVLPITIVS GALBA.

A mula partu Imperij omen accepit, cum auus dixisset, regnaturum, cum mula peperisset.

FOetum mula dedit; regnabis Galba; quod horum
Prodigium maius, Galba, ſed eſſe putas?

Cum palatium ingrederetur, terra mugijt.

Regia dum Romæ peruadit mœnia Cæſar,
Mugitum inſolito terra fragore dedit;
Paſiphae natum ſe dixerat eſſe; iuueneus
Non alia ad regnum debuit ire tuba.

Lautiore cœna ingemuit.

Ingemuit Cæſar, cum cepit carpere menſis,
Quas epulum dederat Pontificale, dapes:
Non eadem ciui, & regi ſunt pocula danda,
Vina bibunt ciues cæcuba, Rex lacrymas.

Nummulario malè pecunias numeranti manum iuſſit amputari.

Expoſitis campſor tractabat fœnora menſis,
Intentus plures quærere ſemper opes:
Cumq; rependendũ numeraſſet ſubdolus aurũ
Abſciſſa iuſſit Galba carere manu:

Auri

Auri disce lucrum, qui vis ditescere ab auro,
Carior est auro quolibet vna manus.

Iter ingrediens ingentem auri summam ferebat.

Dum septemgeminę Cæsar Capitolia Romę,
Deserit, inque alias destinat ire plagas:
Auro vicinam locupletat Galba quadrigam,
Absque auri nullum pondere tentat iter:
Fortè putas emere exhausto tibi munere vitam?
Auri ferro minus, nam minus se vales.

Aliud.

Non erat hic custos lateri tibi Galba vehendus,
Aurum præ cunctis hostibus hostis erit.

Monile, quod fortunè Thusculanæ parauerat, Veneri Capitolinæ detulit.

Sergius è gaza torquem secreuerat omni,
Fortunæ vt donum traderet ille suæ:
Protinus hanc Veneri, mutata mente, dicauit,
Hæc ratus Idaliam dona decere Deam:
Si vano ludis Fortunam munere, tollet
Sic Fortuna tibi, quod dedit, imperium.

Sacrificanti corona excidit.

Saucia lethali dum victima concidit ictu,
Sacrificoque recens ara cruore madet:
Galba tuis regale cadit diadema capillis,
Suspicor hoc pedibus nectere vincla tuis.

Concionaturo ſedes non eſt poſita.

Dum loqueris, Cæſar, nullum dant caſtra curulem,
Nec potes antiquo tu pede ſtare, cades.

Mortuus à cane defenditur, ne caput excindatur.

Cæſareum fidus greſſum veſtigat Hilaſtor,
Et feſſus varias itque, reditque vias,
Conſpicit in media ſordeſcere corpus arena,
Lictor & extincti corporis eſſe cupit:
Deſine Cæſareum miles laniare cadauer;
Tu canis officium perficis, ille hominis.

Demortui caput ſaxis petitur.

Vix fuerat rigido Cæſar mucrone peremptus,
Bellica ſuſpenſum cum regit haſta caput:
Ora petit miles iactis ſtillantia ſaxis
Atque reciſa mori vix benè membra putat:
Quis neget hunc Orpheo ſimilem poſt funera? traxit
Ille canens lapides, dum trahit iſte, tacet.

OTHO

OTHO SALVIVS.

Noctu errabundus inualidum quemque sago iactabat.

NOctibus errabat, cæcis vt fortè tenebris,
Turpia contegeret crimina mollis Otho;
Dramite sed si quis contrà veniebat eodem,
Ibat ab excusso missus in astra sago.
Roma caue, Regem Latio committere Othonem;
Nam pila, si regnat, mox erit imperium.

Cum deficientibus lecticarijs cursum tepisset in castra, laxato calceo restitit.

Tristia vicinam minitantur viscera mortem
Galbæ, hinc fortunam mutuat Otho suam;
Nec mora, fœmineam, celato corpore, sellam
Intrans, fœminea decipit arte senem;
Deficiunt humeris serui, non deficit Otho,
Præcipiti reliquum sed pede carpit iter:
Otho siste gradum; ligulam constringe solutam,
Regnum ne rapias, calceus ipse vetat.

Non adhùc repositis in templo Martis ancilibus, ad bellum pergit, quod erat infaustum.

Credita nec Martis fuerant ancilia templo,
Strenuus ad bellum cum properaret Otho:
Cur

Cur dirum est, scutis nondũ pugnare repostis?
Bellum vrget,?prosũt iam tibi scuta magis.

Ad bellum proficiscens subita Tyberis inundatione retardatur.

Siste, quid arma rapis, Cæsar? cunctando Quiritum
Rem Fabius, tardo & milite restituit:
Est tibi vincendus lentis Vitellius armis,
Proderit in longas ducere bella moras:
Forsitan & Tyberis superato gurgite pugnam
Differt, aut mortem lacrymat ipse tuam.

Faciem quotidiè rasitabat, ac pane madido linebat.

Barbatos odit Cæsar, lanugo per ora
Ne serpat, cunctos rasitat ora dies.
Quin madidum molli distẽdit pollice panem,
Læuior vt fiat oblita lacte cutis:
Reginam melius ciues dicetis Othonem,
Vllum namque viri non habet ille pilum.

Libenter Isidis sacra celebrabat.

Scis, cur Isiacos ludos daret Otho libenter?
Non se debebat radere, caluus erat.

Plutoni sacrificat, quod dirum erat.

Senserat hostiles Otho properare phalanges,
Plutoni sacris cum dedit exta focis:
Victurus nemo Plutonis libat ad aras,
Reddere nam Pluto vota sinistra solet:
Pro-

Prouidus eſt Cæſar; Stygias ruiturus ad vmbras
Vult ſibi tartareos conciliare Deos.

Bellum ciuile pertæſus, malo mori, dixit, quàm imperare.

Anceps ſtabat adhuc dubio victoria Marte,
Forſitan & poterat vincere mollis Otho:
Ciuica cum Cæſar pertæſus prælia, dixit
Quàm regnare, mihi credite, malo mori:
Patria ſi moriar, viuet; queis Roma labaſcat,
Vnquam non viderat Itala terra dies:
Dixit & arrepto pectus pugione petiuit,
Si mollis vixit, fortior occubuit.

Neronis accepto cognomento ſeipſum occidit.

Ne timeas alium ſuccedere, Roma, Neronem,
Alterius maculas diluet iſte Nero.
Non hic traijciet maternum cuſpide ventrem
Non frater gladio, non ſoror vlla cadet:
Omnes Otho colit; quòd ſi ſe interficit, annum
Ipſe ſibi ſaltem debuit eſſe Nero?

Ante mortem pecuniam diſtribuit.

Decretat celerem Cæſar ſibi tradere mortẽ,
Aduerſo bellum claudere Marte timens:
Sed prius in thalamum caros accerſit amicos,
Plenaque imparit aurea dona manu.
Regnũ armis alieno inuaſerat ære grauatus,
Quod debet, moriens ſoluere vellet Otho,

Noctu tentatis duobus pugionibus mane se interficit.

Duplicis explorat gladij moriturus acumen,
Saluius, ad mortem non satis vnus erat?
Lãguida mox alto componit corpora somno.
Credibile est, illum pœnituisse mori.
Dulciùs imò mori curat, dum viscera lædit
Post somnum, fratrem sic soror excipiet.

Haud procul à rogo multi se milites occiderunt.

Mos fuit, extinctos in cælica numina reges
Scribere, sic pietas nos facit esse Deos:
Non tamen Otho fuit superum descriptus in albo.
Inuicto quamuis foderit ense latus:
Roma ingrata fuit, sed soluit debita miles,
Victima Cæsareum dum cadit ante rogum.

AVLVS VITELLIVS

Originem eius alij à Fauno, alij à sutore deriuant.

QVis primæua tua dederit cunabula genti,
Lis inter ciues vertitur vna tuos;
Hic tibi tradit auos regali è stipite, vili
Te sutore alius peierat esse satum.
Hinc gentilitia primus stat in arbore Faunus,
Hinc sine descripto nomine sutor adest;
Auctori cui danda fides? mihi credere præstat,
Vitelli, incerto te patre progenitum.

Natalem eius diem horruere parentes.

Patria cur, Cæsar, non te formidet adultum,
Si dum ventre fluis, te timet ipsa parens?
Tristia viderunt in cœlis sidera vates,
Grande aliquod veniet, te exoriente, malum,
Prodijt ostentum, quod nulla putauerat ætas,
Progenuit Faunus Semicaper Vitulum.

Caligulæ carus fuit per aurigandi, Claudio per aleæ studium; Neroni, quia illum orauerat, vt inter cythæroedos contenderet.

Si regit aurata Caius per septa quadrigas,
Hic quoque quadrigas æmulus Aulus agit;

Si tibi nocturnum, Claudi, rapit, alea somnum,
Lusor in excubijs principis Aulus adest.
Si Nero clamoso cytharam pulsare theatro,
Debet, tu cytharæ plectere fila facis:
Quã benè tergeminis vnus blandiris amicis?
Quæ sunt in reliquis crimina, solus habes.

Mittitur in Germaniam à Galba, cum nullum minùs esse metuendum diceret, quàm qui de solo victu cogitaret.

Aulum Galba gulæ cum cerneret esse ministrum,
Germani iussit militis ire Ducem.
Molitur sublime nihil, quem blanda voluptas
Illaqueat, cui pro sanguine vina placent.
Galba time, regni non deficit vsque cupido,
Si gustare fines, hauriet imperium.

Itineri conficiendo vnionem matris ab aure detraxit.

Mittitur Odrysias belli præfectus in oras,
Qui propriæ nescit vincere bella gulæ.
Cãdidulum matris furatur ab aure lapillum,
Vt longum diues gemma ministret iter:
Omen, mœsta parens, læuum; nam gentis honorem
Bilius amittet, sustulit ille decus.

Milites si ientassent sciscitabatur, seque fecisse ructu ostendebat.

Nullũ Roma habuit regnãte humanior Aulo
Qui

Qui fuerit ſocios ſit amat ille ſuos.
Strenuus ingreditur pingues conuiua popinas
Accubat, & ſummo vellicat vngue dapes:
Poſtulat, an ſentent, & ne reuerentia turbet,
Ructando ventrem ſe ſaturaſſe probat.
Quàm decet eſſe bonos tali ſub principe mores,
Cui tàm compoſitis moribus eſſe placet?

Veſperaſcente die Imperator eſt factus.

Iam celer aſtrifero veſper prodibat olympo,
Et feſtinabat mergere Phœbus equos;
Agmina cum cœlo dextras tenuere ſupinas,
Romani & regni te coluere ducem:
Romanus iam Cæſar ades, breue tempus at, Aule,
Roma dabit, tenebras veſpera ſera vehit.

Imperator ſalutatus, & circumlatus non antè rediÿt, quam ardente triclinio.

Deuectus per caſtra humeri proceſſerat Aulus,
Dictus & à læto milite Cæſar erat:
Ardua cum repetens Prætorij tecta, camini
Ignem cognouit corripuiſſe lares:
Læuum præcipites omen timuere phalanges,
Principium imperio quòd fera flamma daret.
Vana quid, Aulus ait, caſus portenta timetis?
En nocte alluxit appropiante dies.

In idem argumentum.

Concipit ardentes cœnatio feruida flammas.
Cum decus Ausonij Cæsaris, Aule, capis,
Senserat, haud Romæ, sed Regem te esse coquinæ,
Maiorem hinc ignem præparat illa coquo.

Patinam habuit, quam appellauit clypeum Mineruæ.

Euomit, vt comedat, comedit, sed vt euomat, Aulus,
Et secat in quatuor prandia lauta diem.
Quin vastam curuo lancẽ sibi condit in auro,
Quem sacræ clypeum Palladis ille vocat;
Æmulus ah fieri Spartani militis optat,
Nã clypeo pugnat strenuus hoc, & in hoc.

Romam tendens Aquilam habuit præuiam.

Ducit in Ausonias bellum Vitellius oras
Romani cupidus sceptra tenere Ducis;
Aduolat æthereo præpes gratissima regi,
Et dubium signis præuia monstrat iter.
Quidni Romanas rapiat Vitellius arces?
Omen habet; volucris præuolat ante rapax.

Spreto Cæsaris nomine laurus à capite cecidit.

Agmine stipatus multo contendit ad vrbem
Aulus, regnandi nobile calcar habet?

Dum-

Dumque amnis pertentat aquas, de vertice laurus
Decidit, ac dubio corda timore ferit;
Cæsaris abnuerat nomen, redimere capillos.
Hinc Auli laurus Cæsariana negat.

Audiens se diù imperaturum, si matri superuiueret, illi toxicum porrigit.

Audierat se posse diù regnare, parentis
Si post interitum viueret Aulus adhuc.
Nec mora; regnandi cupidus pietatis honorẽ
Destruit, ac matri dira venena parat;
Suxerat infecto sparsum puer vbere virus,
Pocula vir factus quid nisi mista daret?

Filium Petronium altero captum oculo peremit.

Toxica miscuerat patri Petronius, vno,
Nil mirum, vultus lumine captus erat,
Hunc tamen arrepto Cæsar mucrone periuit,
Dissimilem cæco viderat esse patri.

Mutum alterum filium habuit.

Qui voces formare nequit, progignitur alter:
Prodere non poterit crimina fœda patris.

Dona, & ornamenta templorum surripuit.

Curam te fateor tenere Romæ,
Sed donis spolias lares Deorum.

Res falsa est dominum esse, mox latronē,*
Qui non prouidet, & rapit, Vitelli,
Hic latro mihi publicus videtur.

Aurum templorum orichalco, argentum stanno commutauit.

Mutat stanno argentum, orichalco mutat & aurum,
Ausus diuinas tollere Cæsar opes:
Quem non decipiat furtiuis artibus, Aulus,
Si vel præsentes decipit ille Deos?

Iura reddentis gallinaceus insedit capiti.

Pacificum in bello scandis cur, Aule, tribunal?
Cur dicis medio iura togata foro?
Innumeris metuēdus adest cū millibus Otho,
Tu tamen in causis desidiosus agis?
Pro rostris sint castra tibi, sint classica lites,
Te sacer en Marti gallus ad arma vocat.

In idem argumentum.

Heu fuge, Vitelli, crudeles heu fuge terras,
Surripiet miles quæ tibi sceptra dedit:
Inuidet armipotens Romano Gallia regno,
Nunc capiti Gallus imminet ecce tuo.

Inter epulas incendium Capitolij contuetur.

Aspera dum scandit Capitoli saxa Sabinus,
Tarpeia & socios tuus in arce locat:
Irruit infesto decertans agmine miles,
Et iacit igniuomas in vaga tecta faces:
Aspicit interea medijs ardere fauillis
Vrbem Aulus, positas nec finit ire dapes:
Anxius, an totam perdant incendia Romam,
Perdere cum regno prandia cepta timet.

Gla-

Gladium consuli porrigit, vt interficeretur.

Ciuica pertæsus committere prælia Cæsar
Aurato constans exuit ense latus.
Mox ferrum adstanti tradens, hoc percute; dixit.
Me quoque, sic patriæ fata piabo meæ.
Abnuit in dominum gladium distringere, consul;
Carnificem fieri te decet, Aule, tui.

Comitantibus pistore, & coquo Roma fugit.

Aduentare ferum Cæsar cognouerat hostem,
Et iam iam Romæ mœnia posse capi;
Cum sella clausus patrias defertur in ædes,
Hinc & pistorem ducit, & inde coquum:
Inseruire gulæ postquàm sibi iusserat orbem,
Hos stipatores fecerat esse suos.

In cella se abdit præligato foribus cane, & intus opposito lecto.

Nescius, an fugeret, patrijs an sisteret oris,
Cæsar in vrbanas itque reditque domos:
Vt tamen esse videt vacuam custodibus aulā
Angusta vernæ militis æde latet.
Hostibus inde canem venientibus obijcit, intus
Opposito foribus excubat ipse toro.
Heu te non celas, sed pandis, ò Aule, latentem;
Latrabit clausam nam canis esse feram.

Proiectus est in Tyberim.

Vrbs lætare, tuas quæ fax accenderat ædes,
En medio Tyberis gurgite mersa iacet.

VESPASIANVS AVGVSTVS.

Dum sederet ad mensam humanam canis manum intulit.

CVr canis humanam defert in limina dextram,
Dum lautam ad mensam Vespasiane sedes?
Ante Cyclopes, an te genuere Britanni,
Aut alia humanis carnibus alta parens?
Vtere sorte tua; tibi quæque potentia cedet;
Hoc notat intra ædes à cane lata manus.

Cæco lumen reddidit.

Cæcus, vt audiuit toti dare iura Canopo
Augustum, sacros procidit ante pedes:
Mox rogat, vt sputo vitiatos illinat orbes,
Et gemino primum ponat in orbe diem.
Intinxit Cæsar precibus compulsus amicis,
Dignus, quem cæcus cerneret, ille fuit.

Amphitheatrum condit.

Surgit in æthereos sublimis machina tractus,
Septenis maior collibus illa fuit;
Non tantum natura tulit, sed montibus ipsis
Cæsis, ars maius sustulit vna iugum:
Desine in hoc Cæsar, spectacula tradere circo,
Spectaclo est maius quolibet istud opus.

Super vrinam vectigal posuit.

Sordida ferentem mittebat Roma Mephitim,
Cum foret in cunctis amphora fracta locis:
Restituit Cæsar, iusso quadrante, matellas,
Venit & è lotij pensio magna lucro:

Ebria

Ebria Roma merũ vel ſiſte haurire, vel aurum
Solue libens; naſum Veſpaſianus habet.

Ingenia, & artes maximè fouit.

Pulſa redi, neglecta, redi ſapientia, magnum
Propoſito virtus munere calcar habet.
Annua Rhetoribus dantur centena diſertis,
Et quos depulerat Roma ſuperba, vocat:
Multorum inſidijs fuerat vexata luporum;
Cuſtodes poſthàc nutriet illa canes.

Viſo comete crinito iocatur.

Qui nouus æthereo ſplendeſcit in orbe cometes,
Non mihi funeſto nuntiat igne necem:
Vltima Parthorum portendit fata tyranno,
Crinitum regem ſtella comata notat;
Mox Cæſar moreris, Cæſar te ſtella vocabat,
Odit enim caluum ſtella comata ducem.

Stans obijt.

Senſerat vrgeri propero ſe funere Cæſar,
Cum voluit molli tollere membra toro:
Stando decet regem vitam ſpirare, ſed Eheu
Dum moreris, non ſtas, Veſpaſiane, cadis.

TITVS VESPASIANVS.

Sordidis, & obſcuris ædibus natus eſt.

Tite, tuo ad lucẽ vitæ dum naſceris orthu,
Inclyta te fœda parturit æde parens;
Naſceris in thalamo, tenebroſo an naſceris antro?
Virtutes animi ſic meruere tui?

Sic licet è tenebris venturam noſcere lucem,
Poſt tenebras oritur clarior inde dies.

Amor, & deliciæ generis humani dictus eſt.

Tandem læta feros exegit Roma tyrannos,
Vrbis delicium regnat, & orbis amor.
Triſtia compoſitis ceſſerunt funera bellis,
Non hic ciuiles ſollicitabit opes.
At vix accepto moritur moderamine Titus,
Delicias hominum conuenit eſſe breues.

Mitiſſimus fuit in imperio.

Qui prius vrbanos gaudebat ſanguine faſces
Tingere, Cæſareum mitigat aula Ducem:
Eſt experta pium, timuit quem Roma Neronem,
Mores quandoque in principe mutat honor.

Delatores vrbe depulit.

Noxia ciuilem miſcebat turba quietem,
Tutam cui vitam mors aliena dabat:
Ad iuga prærupti defertur inhoſpita montis,
Ciuibus hic pœnas, quas dabat, illa luit.
Redita Roma ſibi eſt, miſeriſque exempta periclis,
Viuere te tutus principe quiſque poteſt.

Sacrificanti hostia diffugit.

Sistitur ardentes taurus moriturus ad aras,
Cæsaris vt manibus victima cęsa cadat;
Ille tamẽ metuens præsentis vulnera mortis
Liber ab instanti, Cæsaris ense fugit.
Cæsaream immeritò formidat bellua dextrã,
Nunquàm tam mites senserat illa manus.

Cælo sereno intonuit, dum sacra faceret.

Æthere tranquillo tonuit, cum turea diuis,
Flecteret vt Cæsar numina, dona daret.
An cęlo placuisse notat vox munera? munusq;
Accepisse pium nuntiat illa Iouem?
Auspicium Titus metuit, dumque aere puro
Nubibus intonuit, nubilat ille animum.

Lectica iter faciens febri correptus cęlum aspicit.

Lectica dum Cæsar iter consumeret, intrà
Venarum sensit serpere claustra febrim:
Dimotis plagulis rutilum conspexit olympũ,
Immeritamque sibi luxit adesse necem:
Cur gemis? haud te terra meret, quem suspi-
cis, æther,
Dum reboat, Cęsar, te super astra vocat.

Ad malum punicum natus est.

TE mala, ò Flaui, portendunt punica Regem,
Portendunt etiam punica mala malum.

Muscas venatur.

Multa palatinam volitabat musca per aulam
Gestans ore tubam, cuspide bella ciens:
Insidias timuit, gladioque armatus acuto.
Infestas Cæsar figere cepit aues;
Pertimuere feræ pugnantis vulnera dextræ,
Omneque muscarum perdidit aula genus:
Musca erat heu nimiũ Romanę Flauius Vrbi.
Consortes regni Cæsar habere negat.

Filius Palladis dici voluit.

Palladis vt gnatum ciues te, Cæsar, adorant:
Pallade sed natus dicitur esse draco.

Vites succidi iubet.

Viderat Ausonijs Lenæum Cæsar in agris:
Bacchum pampineis luxuriare comis;
Hic neglecta Ceres paucas numerabat aristas,
Consita cum solis vitibus arua forent.
Cæditur irato Nysæus principe palmes.
Cogitur & Latijs Bacchus abire plagis,
Iam profligarat virgatis tygribus Indos,
Romula ne rapiat sceptra, fugatur agris.

Do-

Dominus appellari voluit.

Nomen trade aliud; dominum si Roma salutas,
An non te seruam libera Roma facis?

Occiditur ab eo, qui coniurationis indicium afferebat.

Quintam sollicitus metuebat Flauius horam,
Iam sibi vicinam gnarus adesse necem:
Horret, vt allatos pacta de cæde libellos
Accipit, atque aliquid grande latere timet:
Formidare necem, Cæsar, desiste futuram,
Qui tibi namque necem nunciat, ille necat.

Interfectori oculos effodit.

Saucius vt ferro iacuit, præsentia Cæsar
Fata tamen forti pectore spreuit adhuc:
Namque inuasorem contrà surrexit inermis:
Ac valido apprehensum robore strauit humi.
Mox digitis fodiens oculos, si fortè necabis,
Occisum non me, cæce, videbis, ait.

Sagittandi peritissimus fuit.

Quotquot in Albano te spectauere theatro,
Innumeras certa sternere cæde feras:
Noxia tam doctæ stupuerunt fulmina dextræ,
Teque scopum optassent scire ferire minus.
Namque vbi desisti viles tibi ponere metas,
Roma scopus facta est ictibus vna tuis.

DE

DE FONTE LAPIDEO

ab Vrbano VIII. in decliui planitie montis Pincij sub forma nauis extructo.

SAxea consurgit fontano è gurgite nauis.
Quæ medio vitreas pectore fundit aquas.
Vidimus equoreas decurrere ligna per vndas,
Sed mergi liquidis lubrica saxa vadis:
Sola, Vrbane, tuæ sunt hæc miracula vocis,
Iussisti, & placidis petra superstat aquis.

Ludouicus XIII. Galliarum Rex Rupeculam obsidione debellat.

Belliger inuictis rutilat Ludouicus in armis,
Vt Gallo subdat Santona colla iugo;
Iam quatit hostiles iterato verbere muros,
Iactaque ab accenso puluere saxa volant:
Non tamen infesto proturbat mœnia pulsu,
Mœnia stant, hostes nil fera saxa timent.
Quid faciat? Cererem subita obsidione coercet,
Sola fames rabidos apta domare lupos.

In idem argumentum.

Sæua quòd Annibalis cunctãdo fregerit arma,
Cunctator Fabius dictus ab vrbe fuit:
Æmulus Ausoniæ Gallus virtutis in hostem
Non furit, at muros per latus omne premit.
Ad fera præcipites vocitet quis prælia Gallos?
Et cunctatores Gallia ferre potest.

Al-

Albertus Valstenius Fridlandiæ Dux, supremus Cæsarei exercitus Imperator in tabula depictus.

Natus ad imperium, imperij defensor,& armis
Inclytus, hoc celsum spirat in ore decus:
Messuit innumeras hostili è sanguine palmas.
Arctoæ domuit monstra tremenda plagæ,
Quanta Ducem laus est bello superasse draconum?
Hic Gothico septus milite Adolphus erat:
Herculeus sileatur honos, vnum ille dracone͂,
Albertus plures fortior edomuit.

De cæde Alberti Valstenij Ducis Fridlandij, qui lethaliter sauciatus fumum ex ore ructauit.

Proditor Imperij, quæ Cæsar tradidit arma,
Cæsaris in sacrum contulit arma caput:
Cæsareos ardere lares, totamque rebelli
Austriacam statuit perdere in igne domum;
Dũque parat rabidas tectis apponere flãmas,
Absumptus flammis concidit ipse suis.
Nõ perijt ferro,facib. sed adustus Auernis est.
Ostendit missus fumus ab ore faces.

Aliud.

Non est Cęsareum satagas cur lædere nomen
Fridlande, vna tuis sors tribuenda dolis:
Contulit ingẽtes nimiùm tibi Cęsar honores,
Lapsum debueras inde timere tuum;
Tu tamẽ ingratis contemnens munera verbis
Oppressum imperio Cæsaris esse doles:
Perdite, quid quereris?fumum dum mittis ab ore,
Attulit interitum qui tibi, fumus erat.

Hen-

Henricus Dux Memorantius Tolosæ capite plectitur.

Die 30. Octobris 1632.

A usus in innocuum bello consurgere regem,
Et miscere armis Gallica regna suis:
Perdidit ambitos titulis spoliatus honores,
Perdidit & claris nobile nomen auis:
Diuinam per Franca fidem seuere priores
Illi arua, humanam prodidit iste fidem;
Coniurata sequens armatis castra maniplis
Nesciit, heu vitijs bella mouere suis.
Persoluit meritas Henricus funere pœnas,
Dumque caput tollit, perdidit ille caput.

Gustauus Adolphus Suediæ Rex duorum tormentorum ictibus sauciatus interijt.

Die 16. Nouembris 1632.

Miscebat Gothicis Germanica regna cateruis,
Gustauus, gelidæ cura tremenda plagæ:
Hostica Vandalico ducens à litore signa
Theutonicas auido fuderat ense manus:
Et iam iam parto veniebat palma triumpho,
Cum mors cupressum protinus atra dedit,
Occidit ah duplici tormenti glande petitus:
Non poterat sæuum sternere sola ducem.

In obitum Caroli, Comitis de Poppenhaim, qui in prælio occisus fuit.

Die 16. Nouembris 1632.

Suedica Germani cum prælia ferre manipli
Non possent, pauidè terga dedere fugæ?
Carolus haud fugit, sed vocibus agmina sistēs
In magè confertas proruit ense acies:
Dumque inimica cupit propellere signa, ducesque
In sua Vandalicos trudere castra, cadit;

Oc-

Occubuit lætus: Gustauum nouerat ante
Occisum, occiso non piget hoste mori.

In obitum Friderici Comitis Palatini, qui interijt 29. Nouembris 1632.

Exul ab imperio, & patrijs Fridericus ab oris
Quærebat stabilem per loca amica locum:
Sedibus excepit proprijs Hollandia, sortem
Astra aliam donec propitiata darent;
Venit ab Arctois multo cum milite regnis
Suedicus, & pulso tradidit vltor opem:
Antiquas victor dominus remeauit,in vrbes,
Sed longas nequijt tutus habere moras.
Noluit extincto Gustauo viuere; ab illo
Namque Comes factus, maluit ire comes.

Carolus Emmanuel Sabaudia Dux inter varia belli pericula illæsus.

Hostica dum feruent collatis prælia signis,
Pinguis & effuso sanguine inundat humus.
Carolus aduersos pugnax irrumpit in hostes,
Quaque necat gladio, quà fugat ore acies.
Dũque vnũ tot tela ducẽ,tot fulmina poscũt,
Per media illudens ictibus arma ruit:
Palladia cinctum ne dicas ægide pectus,
Obijcit explosis pectus inerme globis,
Dum nihil ergo faces grauido timet ęre tonantes,
Terrenum melius dixeris esse Iouem.

Ambrosius Marchio Spinola in obsidione Casalensi moritur, dum eam Vrbem Torasius discipulus tutaretur.

Venerat Ambrosius Belgarum victor ab oris,
Venerat Italici gloria prima sagi.
Vna erat Austriacos renuens admittere muris
Vrbs vna æratis fisa Casalis erat.

Pro-

Protinus excelſis obducit mœnia vallis
Spinola, & exploſa ſternere glande parat;
Mœnia tutatur validis Toraſius armis,
Et negat obſeſſa tollere ab vrbe pedem;
Spinola quid faciat? moritur; vincente magiſter
Diſcipulo maius mutuat inde decus.

De cognomento Scipionis Africani.

Scipio diſcinctos bello ſuperauerat Afros;
Intuleratque feras Romula ſigna plagas:
Nec ſatur, auguſtos Romam vexiſſe triũphos
Africus à domito dicier hoſte cupit;
Non ſatis, heu? fuerat, populus vaſtaſſe ſubactos,
Ni victis etiam nomina rapta forent.

De Agrippina, quæ de Nerone loquens, occidat, inquit, dum imperet.

De nato audierat, ſi Romula Sceptra potitus,
Agrippina, fore vt traderet iſte necem.
Non curo, dixit, fodiat mea viſcera ferro,
Imperet hic vitam non ego curo meam;
Oh quanto nati mater flagrauit amore?
Se cæſam voluit, Cæſar vt ille foret.

Monyma Mythridatis vxor diademate ſe cupiens occidere.

Audiſſet cùm caſtra ſui deuicta mariti,
Neglexit triſtes Monyma ferre dies:
Sed regale trahens refugis diadema capillis,
Compoſito inſeruit fune ligata caput:
Faſcia at innocuas renuit præcludere fauces,
Faſcia natali ſic fuit illa ſuo.

Carthiſmandua Brigantum Regina maritum regno ſpoliare cupiens occiditur.

Sumere deuicto volui diadema marito,
Sed tulit ille meis aurea ſerta comis:
Mox

Mox vinxit post terga manus; proh fœmina fallax?
Quam cuperẽ vinctas ante habuisse manus.

Penthesilea ducens Agmen Amazonum.

Deuici mulier Græcas inuicta phalanges,
Et secui mammas, vt magis apta forem.
Quìd mammas secui? si qui me fundere mãmis
Lac vidisset, adhuc crederet esse virum?

Zenobia Palmyreorum regina se ipsam in captiuitate solatur.

Dũ captiua trahor Tarpeię ad culmina rupis,
Fit rupes casus publica scena mei;
Nobilius nunquam spectauit Roma trophęũ,
Quàm cùm me seruam libera Roma videt:
Si libertatem victæ Romanus ademit,
Cum libertate heu vita perempta foret;
At mea si rigidis onerauit membra catenis,
Non tamẽ est nodis mens mea vincta tuis:
Dedecus est vinci, sed cum me vicerit armis
Romanos, victrix dat mihi Roma decus.

Sophonisba Masanissæ vxor missum ab illo venenum haurit.

Sic nostros, Masanissa, toros coniungit amaror?
Sic & coniugij toxica fœdus erunt?
Ebrius heu nostræ fueras dulcedine formæ,
Pocula quìd mirùm si mihi felle reples?

Vrbanus VIII. Barberinas Apes Thomæ Mallonio Congregationis Somaschæ Episcopo Belunensi in insigne Mallonium inferri concedit.

Cur gentis desumit aues Vrbanus auitas,
Mallono & proprium stẽmate stẽma locat?
Scilicet hæ vacuo volitabant aere, flores
Vt libent, Thomæ ad gramina mittit apes.

De

De Aquila Mallonia, & tribus montibus.

Tres montes quid stemma tenet? quid in ethera pennis
Non fertur superi præpes adunca Iouis?
Expansi quæ fulua plagis spatiatur olympi
Malloni poterit firma manere iugis?
Hic videt Idæos forsan consurgere montes,
Regia non alio culmine sistit auis.

In Mallonij nomen.

Illyricas tendis cur, optime Præsul, in oras,
Non procul vndè armis Turcica turba furit?
Ferrea quis frangat populorum pectora? fortis
Malleus, alliciat? melleus ore fauus,
Malloni, nunc iure igitur te Vrbanus adoptat,
Malleus es calamo; melleus eloquio.

Ad Serenissimam Genuæ Rempublicam, quod Stephanum Auriam in Ducem elegerit.

Perpetuis reliquæ parent dum regibus vrbes,
Quid mutas plures Ianua cella Duces?
An quia, cum paucos aliæ, tu florida multos
Qui regale ferant pondus, Athlantas habes?
Quot ciues numeras, tot sunt fũdamina regni,
Dumque labant aliæ, tu magè firma viges;
Quæ laus est sanctis dominantem legibis;
AVREVM:
Ferrea dum currunt tẽpora; habere Duci?

Sepulchrum Cæstij, qui vnus ex Epulonibus erat, pyramidata structura, quod partim intrà, partim extrà Romæ mœnia consurgit.

Quid Romæ tumulare negas tua corpora, Cæsti?
Quid non Dardania totus in vrbe iaces?
Respondere tuæ voluerunt funera vitæ,

Quod

Quod passa est, voluit reddere Roma scelus;
Perdideras Epulo mediam tu sūpribus vrbem,
Dimidium inde tui corporis illa tenet.

Sabina coronata spineo serto à Romanis.

Quis raptas docuit spinis redimire Sabinas?
Debebat spinas raptus habere torus.

De sue, qui Romæ in quodam Collegio contubernales duodecim gallinas vorauit.

Mane suburbano pullos portarat ab agro
Rusticus, & socios fecerat esse suis;
Cum suis neglecto deplumat furfure pullos,
Suetaque pertæsus prandia, dente vorat;
Cui non mouissent spectacula talia risum,
Sobria dum pauidas bellua mordet aues?
Accipere è mensis prius ossa cadentia fuerat,
Gustare optauit nunc caro, quid saperet,

Aliud.

Sic conuiuentes laceras, sus improbe, pullos?
Hospitij sacram sic colis ergò fidem?
Custodem volucrum te rusticus esse futurum
Crediderat, reperit, cum gregis esse lupum;
Mactauit solus quondam Busiris amicos,
Nunc didicit socias perdere porcus aues.

Aliud.

Cum sue viuebant vili sub tegmine pulli,
Quos stabuli dudùm iunxit amica quies;
Sed cum dira fames auidum corroderet aprū,
Pullorum pepulit carnibus ille famem.
Quæ ponent posthàc ciuiles fercula mensæ,
Incipiunt pulli si cibus esse suis?

Aliud.

Et tua delicias gula sus amat improbe? pullis
Desine depasci; te decet esse fabas.
Quid comedēt pueri, cum Bacchanale redibit,
Et poscent hilares prandia lauta dies?

Ritè

Ritè ſapit: dominis debet ſeruire Nouembri,
Seruiat vt meliùs, pinguior eſſe cupit.

Aliud.

Viderat in ſtabulo gallinas porcus eodem
Deciduas domini e prandio habere dapes,
Inuidus alterius fructu, grunnitibus ipſis
Eſt viſus tales fundere ab ore ſonos:
Sic? totam ſuſtento meis qui carnibus ędem,
Vlla non poſſum pellere carne famem?
Quæ ſomnum abrumpunt vigiles glocitando volucres
Pingueſcent damno ſepta per iſta meo?
Nulla ſolet plures nutrire culina gulones:
Ante illas comedam, mox ego ſolus ero.

Aliud.

Gaudet aper dominum cernens ſibi iungere pullos,
Venandique aptum tempus adeſſe videt:
Si gallina volat, rapido ferit aera ſaltu,
Si celerat curſum, curſitat ille celer,
In gyrum expanſis ſi pullus deuiat alis,
Sus etiam pedibus circumit omne latus.
Siſtite frondiferis expandere retia ſyluis,
Exerto volucres en aper vngue capit.

In auarum ligatorem.

Cinna dolet metuens tetricas amittere lites,
Nec curis animi ſpes manet vlla ſui,
Conſulit Entellum, cauſæ qui pondera libres,
Et docto coram iudice iura ferat,
Aurea facundæ commendat munera linguæ,
Quæ truculenta etiam flectere corda queat,
Nil tamen Entello donat: dum Rhetor laudat,
Eſtque nimis Logicus, perdere Cinna cupit.

In

In Causidicum.

Agit sonanti voce Maximus causas,
Et instat, & strepit, & plenis tonat buccis.
Adeone doctus est? indoctior nemo est.
Quid ergo Cerberus latrat? petit panem.

Senex religiosus calamo, & atramento pingens.

Sistite Protogenes tabulis miscere colores;
Nec pennicillos dextera vestra regat;
Depingit Raphael, calamo scribente, figuras,
Scribit, & è ductis surgit imago notis,
Spiranti pictas animaret imagine chartas,
Mortua ni inciperet iam senis esse manus.

De duobus Ducibus Vicentinis Roberto, & Fabio Trissinis, qui in defensione Garesij perierunt.

O duo Trissineæ bellantia fulmina gentis,
Et Vicentini gloria rara sagi.
Quàm benè concordi miscetis prælia signo?
Quã bene vos animat sæua per arma Leo?
Cur non consimili caditis quoque vulnere? cur non
Mors eadem comites vos facit esse pares?
Robore Robertus cum præstet, robore vinci
Debuit; ars Fabij vindicis arte manus.

In opus de Sorgia flumine Iosephi Mariæ Suaresij.

Hæc tua sunt, Ioseph, doctæ miracula linguæ,
Per te præclarum Sorgia nomen habet,
Scilicet illa quidem vitreis delabitur vndis,
Surgit at eloquio Sorgia facta tuo.

De corallio ab eodem laudato.

Dum rubra suauiloquis, Iosephe, corallia dictis.
Et docta ramos arboris arte vehit
Quis patet? à verbis deriuat planta colorem,
Et ramis addunt byssina verba decus.

De puero Tybere demerso, dum sui umbram in aquis aspiceret.

Ad Tyberius cũ forte puer consisteret vndas,
Cerneret & puerũ surgere in amne parem;
Extulit inde pedem, pede subsultauit imago,
Extulit inde manum, sustulit vnda manum;
Arrisit proprij deceptus imagine vultus,
Et puerum in pueros se putat isse duos,
Extendit dextrã, socium qua ducat ab vndis.
At medias rapitur cernuus inter aquas:
Hic trahit, vmbra trahit, corpus luctatur, & vmbra: at
Corpus dum rapuit, fortior vmbra fuit.

Ad elegantissimum poetam Antonium Brunum. In geminam eius Venerem cælestem, & terrestrem.

Antoni, Veneres duas dedisti,
Et quas parturijt fretum, polusque
Fœtu vno ingenij paris gemellas,
Horrebant oculi videre casti
Nudas, & lare sordido iacentes;
Vt possent Sophiæ subire tecta,
Et cum doctiloquis viris, morari
Vestiri metrico poeta cultu.

De

De eruditissimis Augustini Mascardi dissertationibus in Cebetis tabulam.

Vt vitæ quiuis perfectæ attingere culmen
Posset, & à victis præmia ferre dolis:
Arte cebes mira tabulam descripsit, & omnes
Obscuris mores pinxit imaginibus.
Nullus erat, tabulæ qui credita symbola nosset,
Sordere in tenebris ars ea fecit opus.
Depulit eloquij Mascardus luce tenebras,
Tam clarè ignotas prodidit ille notas;
Nunc ænigma Cebes Sphingis sua dogmata dicat;
Pedibus exposito dogmate hic alter erit.

Ad Io. Baptistam Manzinum de Exercitijs eius Rhetoricis, quæ Furores iuuentutis appellauit.

Dum plures solus fingis, Manzine, loquentes,
Multorum & linguæ munera solus habes;
Cur matura vocas iuueniles scripta furores,
Nobile cur humili nomine gaudet opus?
Si sic declamas iuuenili percitus oestro,
Quid quoque, cum senior Nestore Nestor eris?

Ad Petrum Franciscum de Paulis celeberrimum Poetam.

Carmina, Petre, solet primæuus promere feruor
Cum iuuenis mollē plectat Apollo chelyn.
Tu tamen in primo, qui carmina flore iuuentæ

Fudisti haud cessas fundere metra senex:
Aut voluit te dia suum esse Poesis olorem,
Aut, sene te, venam non senuisse dedit.

In ostentatorem doctrinæ.

Doctores, Philomuse, vincis omnes,
Si te, grammaticæ petunt magistri
Verbis grammaticæ obruis magistros,
Iam cedunt tibi Rhetores, tuæque
Linguæ Tullius inuidet disertæ.
Migrant docti sono sophi Lyceo,
Et liquunt vacuas tibi cathedras,
Ne totam moueas scholam, timentes.
Doctrinam tetigisse te fateris
Vix sacram, & superas statim docentem.
Si sic proficis, anteuertis omnes.
Quin mendacia plura qui loquatur
Si lis est, duo verba penè dicis,
Et mendacia trina dicis; hoc si
Sciuisem, proprias canente laudes,
Doctrinam celebrante te tuamque,
Mentiri, Philomuse, subdidisem.

DE TVBERE,

Quo in dextera tumeſcente

Reuerendiſs. P.

HENRICVS ANTONIVS BVRGIVS

Ordinis Seruorum B. M. V. Generalis extinctus eſt.

Epigramma.

EDidit Eloquij niueo candore volumen
  Burgius, in Sophiæ gloria prima choro;
Immortale ſibi peperit per ſæcula nomen;
  Mors hoc vlciſci ſæua cupiuit opus.
Dextra, ait, æternis ſcripſit miracula chartis
  Pro tanto pœnas crimine dextra luet.

In idem argumentum.

Epigramma.

Sic, Henrice, cadis? quæ debet dextera lecto
  Tollere, te letho cedere dextra facit?
Quæ pœnam rapuit truculēta mortis ab alis,
  Scriberet vt libros, te modò dextra necat?
Dextra fuit, doctis ſcripſit dum talia chartis,
  Sed te dum necuit dextera, læua fuit.

Cum Patauij Philoſophicas theſes tueretur Henricus.

Epigramma.

Cum Ioue conqueſta eſt quondam Sapientia, paucos.
  Alliceret Sophiæ cum modò rarus amor.
Iup-

Iuppiter, ah dixit, vilescere dogmata nescis,
Si teneat Sophiæ dogmata quisque? sile.
Scripsit Aristoteles, Henricus scripta tuetur,
Non alios quærat nescia terra sophos.

De poemate celeberrimi Vatis Hispani Lupij de Vega, cui titulus, Laurus Apollinis.

Epigramma.

Scribis Apollineum facundo carmine laurum,
Dignus Apollinea cingere fronde caput.
Ambigo, Vega, tuæ num frontis adaucta labore,
An calami succo creuerit illa tui;
Hoc scio, te Phœbo non æquè inscribere laurum,
Cum prognata tuo sit tua planta solo.

De alio eiusdem auctoris poemate Circes inscripto.

Epigramma.

Solis inaccessos habitabat filia lucos,
Sueta venenato spargere felle dapes.
At modò Parnassi ad colles translata bicornis,
Haustas de Vegæ gurgite potat aquas.
Quæque deerrantes socios deuinxit Vlyssis,
Libera per Mundi cogitur ire plagas.
In varias prius ausa homines mutare figuras,
Mutata in metricum se videt esse sonum.

Ad Illustrissimum Virum Marcum Falctrum Cremæ Prætorem.
Epigramma.

CREMA LOQVITVR.

Prudenti dū, Marce, tuæ moderamine linguæ,
Legifero dicis turbida iura foro;
Nemo sacrum linquit merita sine laude tribunal,
Sic æquæ causæ pondera lance tenes.
Iustitiam cōmendat inops, commēdat & auro
Inclytus, occultos non timet illa dolos.
Iam Crema dicebar, medijs quod adusta fauillis,
Nunc succensa tui dicar amore Crema.

Ad eundem, qui Cremæ Illustrissimum, & Excellentissimum virum Bertuccium Valerium.
Ad Serenifs. Hispaniarum Infantem Cardinalem Venetum Oratorem excepit hospitio.

Epigramma.

Pergit, vt Austriacū communi nomine fratrē
Adriacus culto nuntius ore colat.
Insubricas dum tētat iter peregrinus in oras,
De se plaudentes cernit vbique lares.
At tibi cōmissæ excipitur vix mœnibus vrbis.
Conuulsa è proprio cum Crema visa solo.
Aduentu gestiuit Eques, gestiuit egenus,
Exposuit cunctas culta fenestra nurus,
Tu tamē impensis superās immanibus omnes
Par tibi, par summo visus es esse viro.
Ibat ad Infantem gentili è sanguine Iberum
Peruenisse putat, dum tua tecta subit.

Ad

Ad Patrem
D. Michaelem Archangelum Bottum de sua Tragadia, qua Arginaldus inscribitur.

Epigramma.

Lugubre iam Michael tractas quid fata cothurno,
Vitalis fidibus si venit aura tuis?
Scilicet obscuris dũ plectra recessibus infers,
Das Lucis rutila non nisi luce frui.
Exprimis occiduas per docta Epicedia pompas,
Argutumque fuerunt mæsta Theatra sonum;
Sanguine quin spumant dum Regia sceptra, cruentos
Verri inter latices Aurea Vena fluit.

Aloysius Tassus Canonicus Bergomi laudat Aloysij Cerchiarij scripta poetica impressa Bergomi typis M. Ant. Rubei de anno 1634.

Dum scribis Cerchiare tui prodigia cantus,
Prisca silet Vatum gloria, fama stupet.
Nam graue ta[illegible] dulci carnem modularis auena
Æmulus vt litui sis Citharæque simul.
Cerno; melo Tuscos, si vis grauitate latinos.
Vincere, sic gemina cingere fronde caput.

F I N I S.